TRIUMPHUS CHARITATIS SIUE DE VITA, VIRTUTIBUS ET MIRACULIS VENERABILIS...

Tiburcio Navarro, P. S. incisore

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 D
28 И

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

85
E
15

A·239·

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 D
28

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

85
E
15

K.239.

VITA
P. FR. FRANCISCI
SOLANI
ORDINIS MIN. OBSER.

TRIVMPHVS CHARITATIS
SIVE
DE VITA, VIRTVTIBVS ET MIRACVLIS
Venerabilis Serui Dei

P. FR. FRANCISCI SOLANI

ORD. MIN. REGVLARIS OBSERVANTIAE

LIBRI DVO

Maior autem horum eſt Charitas. 1. ad Cor. cap. 13.

Per P. Fr. Tyburtium Nauarrum eiuſdem Ord. Prouinciæ verò Immaculatæ Conceptionis Recollectorum in Aquitania Lectorem & Prædicatorem.

Ad inſtantiam & curam Fr. Ioannis à S. Didaco Villalon Almæ Prouinciæ Bœticæ in Hiſpania præfatæ Obſeruantiæ Religioſi Layci, nec non Cauſæ Canonizationis & Beatificationis dicti Serui Dei in Curia Romana Procuratoris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, TYPIS MICHAELIS HERCVLIS. M.DC.LXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISS.MO PATRI

FR. FRANCISCO MARIAE RHINI A' POLITIO

TOTIVS ORDINIS FRATRVM MINORVM MINISTRO GENERALI DIGNISSIMO.

FESTIVOS Seraphicæ Religionis applauſus, & iucundos Franciſcanæ Familiæ dies perturbaret, qui dùm omnes REVERENDISSIMAE PATERNITATI TVAE certatim offerunt corda, non voueret opera, & dùm ſubditarum mentium Tibi conſecrantur affectus, priuatos ſui obſequij effectus (quando poteſt) pandere denegaret. Idcircò Reuerendiſſime Pater, admirandam Venerabilis Serui Dei Patris Franciſci Solani vitam daturus in lucem, putaui me iuſtam totius Ordinis voluntatem impleturum, & meam; ſi hunc qualemcunquè tenuitatis meæ partum, Tibi titulo multiplici debitum, conſecrarem: Enimuerò præter ea, quæ Paternitati Tuæ Reuerendiſſimæ cum omnibus Seraphici Patriarchæ Succeſſoribus ſunt communia, quibus vt Capiti, vt Patri, vt

Domi-

Digitized by Google

Domino; Tibi cuncta membrorum officia, filiorum bona, ſubditorum obſequia referri debent: Habes & innumera, quibus ea quæ ſunt Iuſtitiæ debita, fiunt amoris tributa; & quod etiam ab inuitis animis exigit dignitas, à ſpontaneis cordibus virtus expoſcit. In Te enim, Reuerendiſſime Pater, quales vel ipſe Franciſcus optaſſet, omnes optimi Miniſtri Generalis ac ſupremi Moderatoris partes elucent; quibus antequàm ad ſummum Ordinis eueh ereris faſtigium, iam Te cunctis ſpectabilem reddebas, & dignus qui tàm altum munus obires, fama publica prædicabaris: Nec immeritò ſanè, nam cùm in primis Ciſmontanæ familiæ cathedris Theologica explanaſſes myſteria, & ad Lectoris Iubilati gradum, non tàm perennis Magiſterij diuturnitate, quàm doctrinæ ſublimitate aſcendiſſes; cùm poſt alia Religionis munia, Terræ Sanctæ Cuſtos, ſacri Montis Syon Cœnobij Guardianus inauguratus, & in partibus Orientis Apoſtolicus Commiſſarius à Sancta Sede Romana conſtitutus, omnium illùc aduentantium Chriſtiani Orbis Nationum Tibi conciliaſſes amorem, & quaſi Agnus manſuetus, etiam barbara Turcarum corda Tua benignitate viciſſes, tota Minorum Religio in Reuerendiſſimam Paternitatem Tuam ſuper montis Seraphici altitudine collocandam oculos conuertit: vt eum cui Chriſtus Patriæ ſuæ terrenæ commiſerat curam, Franciſcus ſuę familiæ regimen commendaret; & idem qui Hieroſolymis præfuerat & Caluariæ, Aſſiſio præeſſet & Aluer-

niæ

niæ, ſicquè noua adhuc Franciſci ad Chriſtum in Te conformitas rutilaret. Dum ergò Reuerendiſs. Pater, tot refulgens fulgoribus quaſi Sol ab Oriente ad occiduas Hiſpaniæ terras migraſſes, omnium oculos perſtrinxiſti, ac vnanimi cunctorum ex vniuerſo Mundo connenientium Fratrum voto, conſenſu atquè applauſu ſummus Minoriticæ Religionis Ductor electus es: Hinc veluti multiplicato ſplendore renaſcens, nec non per Meridiem gyrans, vniuerſaquè in circuitu luſtrans, occurrentes caligines deterſiſti. Nolo Reuerendiſs. Pater, duram quorundam malorum refricare memoriam, ſed tacere haud debeo; quòd vbi quaſdam ingreſſus es terras, quæ inimicus homo per triennium zizania ſeminauerat, quas effuderat tenebras, quas excitauerat confuſiones, in breui quinquè dierum ſpatio Tua ſollicitudo euellit, Tua ſapientia diſſipauit, Tua benignitas compoſuit: Indè flectens ad Aquilonem, cunctis Te mirabilem exhibuiſti, & vbiquè digna Franciſci officio & nomine veſtigia reliquiſti. Hæc compendiosè relata (præter alia, quibus referendis ſum impar) me impulerunt, vt exiguum hoc mei obſequij & gratitudinis vectigal ad Tuæ Paternitatis Reuerendiſſimæ pedes afferrem: Scio equidem alios nobiliori animo maiores Tibi oblaturos elucubrationes, ſed vltra quòd ſumma Tua benignitas facilem ad Te mihi præſtat acceſſum, audeo dicere dignum eſſe Seruum Dei Franciſcum Solanum, qui ſe Tuo conſpectui ſiſtat, eo (inter alia) iure; quòd veram Seraphici Patris

(quam Tu zelas) ſimilitudinem refert, quòd perfe-
cti Fratris Minoris humiles & altas (quas Tu doces)
repræſentat virtutes, quòd Franciſcus eſt, quòd ſua-
uis & benignus; & ſuper omnia, quòd tempore, quo
per ſex menſes ante generale Capitulum Te meruit
illa ſua Bœtica Prouincia obtinere, quamplurimos
eius filios protegiſti, ac docuiſti & vſquè nunc non
ſiſtis ſingulariter eam protegere, & eos fouere. Ideòq;
Tibi fore pergratam ſpero, & cùm nihil magìs exop-
tem, quàm vt opus conſumes, quod incepiſti; vt
ſcilicet omnes Tibi ſubditos, fideles Patris Noſtri imi-
tatores efficias, cuius vitam Patrocinio Tuo in terris
committo, illi perennem Tuam incolumitatem in
Cœlis commendo.

Reuerendiſſimæ Paternitatis Tuæ

Humill. & obſequentiſs. filius & ſubditus

Fr. Tyburtius Nauarrus Min. Obſ. Recollectus.

A D

AD LECTOREM
PRÆFATIVNCVLA.

CVM P. Fr. Ioannes Villalon à S. Didaco almæ Prauinciæ Andaluſiæ Regular. Obſeru. S.P.N. Franciſci Religioſus Laycus, & in Curia Romana Cauſarum Beatificationis & Canonizationis Venerabilium Dei Seruorum Fr. Franciſci Ximenez de Ciſneros olim S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopi Toletani: Fr. Franciſci Solani Viri verè Apoſtolici, ac Sororis Ioannæ à Cruce Hiſpanæ, Procuratoris; pro cura, ſollicitudine & zelo, quem in Dei ac Sanctorum eius honorem promouendum habet, me in eadem Curia exiſtentem impuliſſet, vt præfati Venerabilis Serui Dei P. Fr. Franciſci Solani vitam, virtutes, nec non miracula idiomate Latino conſcriberem, petenti acquieui; vt pro meo ſaltem modulo tàm ſplendidum lumen vniuerſo Mundo manifeſtarem, & licèt meas huic Operi vires impares agnoſcerem: tamen ex memorijs, Proceſſibus, documentis & libris à præfato Procuratore mihi ſubminiſtratis fidelem ac ſinceram huius vitæ hiſtoriam deſumpſi, moxquè in eiuſdem manus remiſi; vt ſi Superioribus noſtris videretur, eam prælo dari curaret, quod & Deo annuente fecit, & ex eleemoſynis ſibi tranſmiſſis impreſſionis expenſas ſuppeditauit. Ad hæc te, Chriſtiane & Religioſe Lector, tibi perſuaſum volo, eximij iſtius Confeſſoris Franciſci Solani miracula & virtutes digna eſſe,

quæ ab omnibus deuotè legantur: Cùm nihil ibi ſit, quod authenticis teſtimonijs non à plebe ſimpliciori, ſed à Viris Religioſis, doctis ac pijs, & à magnis grauibuſquè tàm Cleri, quàm ſæculi Heroibus, adductis non confirmetur; ità vt plus-quàm ſexcenti ex omni conditione teſtes, ſuper miris Viri iſtius Sancti operationibus, in Proceſſibus depoſuiſſe comperiantur. Super omnes autem virtutes, quibus magnus iſte Minor excelluit, ſupremum locum Charitas tenet; quæ cùm in ſalutem Populorum tota fuerit occupata, magnulm debet religioſis pectoribus ipſum imitandi excitare zeum. Prætereà quò ad miracula duo genera ſunt, quæ ipſum omnibus hominibus debent peculiariter carum efficere & venerandum; primum eſt miraculoſa tot peccatorum conuerſio, ſecundum languentium à quacunquè infirmitate frequens liberatio. Totum autem Opus duos complectitur Libros, vnus eſt de vita, virtutibus & morte; alter miracula poſt mortem geſta, famam Sanctitatis & ſtatum Cauſæ Beatificationis in hac Curia recenſet. Cui omnia ſubmitto, & pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

FR.

FR: FRANCISCVS MARIA RHINI de Politio Miniſter Generalis, & Seruus totius Ordinis Seraphici P. N. Franciſci &c. Dilecto Nobis in Chriſto P. Fr. Tyburtio Nauarro Lectori & Prædicatori Prouinciæ noſtræ Conceptionis Recollectionis Galliæ Alumno ſalutem in Domino ſempiternam.

CVM, ſicut accepimus, Opus à te collectum fuerit, concernens eximias virtutes Venerabilis Serui Dei Fratris Franciſci Solano, illudquè ad maiorem Domini gloriam, Ordiniſquè noſtri Seraphici decus, imprimi cupias (cura, diligentia, & ſollicitudine Fr. Ioannis à Sancto Didaco Villalon Layci Prouinciæ Bœticæ noſtræ Obſeruantiæ in Hiſpania filij, Procuratoris in Curia Romana Cauſæ Beatificationis, & Canonizationis eiuſdemmet Serui Dei, & aliorum.) Nos, qui prædicti Solani exaltationem, quantùm in Nobis eſt, promouere ſummoperè cupimus, & aliàs intelligentes, talem Librum his omnibus non modicè profecturum: Harum noſtrarum vigore facultatem Tibi concedimus cum merito ſalutaris Obedientiæ, quatenùs præuijs examine, & approbatione eiuſdem operis à Reuerendo Patre Fratre Franciſco Maria à Caſtro S. Petri, Lectore Iubilato, ſacrarum Congregationum Indicis, & Rituum Conſultore, & Procuratore Generali Ordinis in Curia Romana; nec

non & à Reu. Patre Fratre Ioanne Garrido, & Melgar Lectore Iubilato, Prædicatore Regis Catolici, noſtræ Prouinciæ Bœticæ Patre, & in noſtro Conuentu Ara-cœlitano primo Profeſſore faciendis; ac in reliquis Sanctionibus Apoſtolicis, & Ordinis noſtri Conſtitutionibus ſeruatis, ipſum Typis mandare poſſis & valeas. Dat. in noſtro magno Conuentu Pariſienſi die 9. menſis Februarij Anno Domini 1671.

Fr. Franciſcus Maria Rhini de Politio
Miniſter Generalis.

Loco † Sigilli

De mandato Reuerendiſs. Paternitatis ſuæ

Fr. Antonius Henriquez de Loſada
Secret. Generalis Ordinis &c.

Appro-

Approbatio Adm. Reu. P. F. Franciſci Mariæ de Bononia Regul.Obſeru. S.Franciſci olim Diffinitoris Gener. Prouinciæ Bononiæ Ex-Prouincialis, Sacræ Congr.Indicis, & Rituum Conſultoris, & ad præſens Procuratoris Generalis Ordinis.

VEre Apoſtolici Viri, & Euangelicæ profeſſionis noſtræ in Occiduis Indijs Thaumaturgi P. Fr. Franciſci Solani vitam, ex varijs Authoribus, ac Proceſſibus compilatam, ex commiſſione Reuerendiſsimi Noſtri P.Franciſci Mariæ Rhinij totius Ord.Seraphici Miniſtri Gener.perſpexi, eamquè non minùs hiſtoriæ, quàm dictionis ſinceritate iudico integerrimam; quam ſi Superiorum auctoritas publici fieri iuris permiſerit, non dubito pronunciare, ex eiuſdem lectioue Religionis Catholicæ reuerentiæ, ac pietati in magno illo nouo Orbe, & Ordinis inſuper noſtri Seraphici ſplendori, animarumquè zelo, vbiquè quamplurimùm conſultum iri, atquè futurum vtiliſſimum. Romæ ex Conuentu noſtro Ara-cælitano die 14.*Martij* 1671.

Fr.Franciſcus Maria de Bononia
Procurator Generalis Ord.

Cen-

Cenſura & approbatio Adm. R. P. Fr. Ioannis Garrido & Melgar Lectoris Iubilati vtriuſquè familiæ, Regis Catholici Hiſpaniarum Caroli Secundi Concionatoris, Prouinciæ Bœticæ Obſeruant. Patris perpetui, & huius Ara-cœlitani Conuentus Sacræ Theologiæ Lectoris primarij, ac Regentis Generalis.

HIſpanicis ex monimentis tùm Iberiæ noſtrę, tùm Americæ *Triumphum Charitatis* vidi (iuſſu Reuerendiſſimi P. Noſtri Miniſtri Generalis) Venerabilis Serui Dei Fr. Franciſci Solani; quem non exiguo eloquentiæ lepore, & integerrimo deuotionis calamo R.P. Fr. Tyburtij Nauarri Seraphici noſtri Obſeruant. Inſtituti Lectoris, atq; Concionatoris opera compoſitũ, ornatumq; admiratus, inſigni prerogatiuarũ pompa decoratũ agnoui: ibiq; amœniſſimo veluti ex Viridario collectos, varijs pictos coloribus virtutũ flores ſuauiſſimo præcipuarum perfectionũ odore fragrantes, in faſciculum coaluiſſe perſpexi. Hic eſt quidem Venerabilis Seruus Dei Fr. Franciſcus Solanus dilectę Prouinciæ meæ Bœticæ Alumnus, eius totiuſquè noſtræ Religionis ſplendor & decus; in quo miro pulchritudinis, & odoris cumulo, nullis mutata vicibus, olent & ſplendent candida puritatis lilia, fragrantes martyrij deſiderij roſæ, profundiſſimæ humilitatis violæ, integerrimæ Solis aſſecla obedientiæ eliotropius: velut etiã flos Ieſſe, folijs inopiæ ergò, ramiſq; vacans, Euangelica

pau-

paupertas;quem deniq; intenſiſſimę Charitatis roſmaris, alios vndequàquè flores circundans, coronat.

Fateor equidem Venerabilis noſtri Solani *Charitatis Triumphum*: quin duplicem fateor Triumphum;dum bis Virum & Charitate, & Nauarri opera triumphantem admiror: ea ſanè (qua triumphans) victis hoſtibus, trophæis glorioſus, victoria lætus Cœlos adijt, triumphauit; altera quidem (opera nempè Nauarri) Iberici Orbis glorioſus, Catholicæ Eccleſiæ Heros, Seraphicæ Religionis noſtræ ſplendor admirabundæ Poſteritatis triumphans demonſtratur. Stat itaq; opus hoc æquiuocum abſquè ſenſus æquiuocatione:*Triumphus* enim iſte, & Charitatis Solani; & Nauarri elegantiæ triumphus eſt: Vndè congruit F. Quintiliani ſententia; *Non tamen priùs ab illo ſcribitur, ac editur in lucem, quàm complacuerit*: Quandoquidem Opus hoc digniſſimum lucis prærogatiua ſplendet; quæ à primis ſui ortus natalibus, ex ampliſſimo vniuerſi Orbis campo detrudens tenebras, ſuæ è Cœlo iudicium meruit bonitatis: *Vidit Deus lucem,quòd eſſet bona*. Eius itàq; ducto bonitate,ſecundum mihi perlegenti Caput oculis lacrymarum quaſi imbre ſuffuſis, in memoriam redijt religioſiſſimus ille Prouinciæ meæ Sanctæ Recollectionis Conuentus D.Mariæ de Loreto ſacratum; qui Hiſpali Bœticæ Prouinciæ celeberrima olim Romanorum Colonia (quæ hodiè Siuilia dicitur) duas diſtat leucas in deſerto conſtitutus: vbi ſacram quadriennium legi Theologiam, vbiquè Venerabilis Solanus

lanus Philoſophiæ, ac Theologiæ ſcientias didicit: Adeſt & hodiè (quam religioſiter veneramur) anguſtiſſima eius Cellula, cuiuſuis animos ciens ad deuotionem, quæ per viam aditumquè Chori, ſiniſtrorsùm manens, tranſitum terminat. Venerabilis proindè Seruus Dei Franciſcus ex neceſſitate per Chorum pauperrimum ſuum ad tugurium tranſire debebat: Vndè Sanctiſſimum Crucifixum in Choro manentem deuotiſſimè ſemper ſalutare ſuetus erat, miraculoſamquè D.Mariæ de Loreto Imaginem ſæpè ſæpiùs colloquebatur. Hìc Chriſti Heros Solanus Philoſophiam percepit; myſticam hìc, & ſcholaſticam adeptus Theologiam: & quidquid indè mirabiliter in animarum ſalutem, Spiritu operante Diuino, quà prædicando, quà docendo, quà operando in magno Indiarum Regno Peruano patrauit, ab iſto Religionis, ac virtutum Seminario noſtro Dei Seruus excepit.

O nimis inter omnes Obſeruantum Prouincia, ac Cœnobium fœlix Hiſpalenſe; cui tantum Diſcipulum ac virtutum Magiſtrum habere contigit, & docere. O fœlix Parens Prouincia, quæ Cœlo, telluriq; dilectum parere filium meruiſti. Et ſi aliæ alijs gloriantur filijs, tu vnico Patre & filio, Diſcipulo & Magiſtro, atquè Euangelicæ vitæ Apoſtolico cultore rigidiſſimo Franciſco præ cæteris gloriari potes.

At nimis, Loretanum Conuentum iſtum tantùm fuiſſe filium, non miror; quando & Sanctum Didacum ſuum itidem, eiuſdemquè Prouinciæ Alumnum

habuit

habuit tot miraculis, & ſanctitatis prodigijs coruſcantem: quandoquè Venerabilem Patrem Fratrem Mathiam Villalon, Patrem Fratrem Petrum Vidal, qui vigeſimo primo huius vixerunt centenarij; Patrem Fratrem Carloual, Patrem Fratrem Bernardinum de Coruera, Patrem Fratrem Ioannem de la Cruz, ac Patrem Segeran, atquè alios quamplurimos, qui virtutibus, zelo, doctrina, & ſanctitate conſpicui, noſtris effulsère temporibus, nec non Deo copioſam dederunt ſegetem, enutriuit & docuit. Itaquè pro Libro iſto poteſt Prouincia mea Bœtica cum Iob dicere: 31. *Deſiderium meum audiat Omnipotens, & Librum ſcribat ipſe, vt in humero meo portem illum, & circundem illum quaſi coronam mihi.*

Expectat igitur Bœtica, atq; Perù hunc Seruum Dei inter Sanctos à Sanctiſs. D.N. adſcriptum audire; vitamq; eius mirabilem vbiq; Gentium communicãdam: hoc autem in Auctore inuenit; primum autẽ ab Apoſtolica Sede anhælans expectat, atq; ità in humeris & cordibus noſtris Liber ac deſiderium manebit ſemper corona. Viſo ergò, ac deuoti animi diligentia examinato, nihil in eo, quod orthodoxæ Fidei, ſacris Canonibus, vel noſtris Catholicis moribus cõtraeat, inueni; verùm potiùs fidelibus vtilitati, atquè ędificationi fore cenſeo, Typiſq; proindè mandandum fore puto, ſaluo &c. Datum Romæ in noſtro Ara-cœlitano Conuentu die 15. menſis Martij Anno 1671.

Fr. Ioannes Garrido & Melgar.

Approbatio Reuerendiſs. P.Fr. Dominici à Sanctiſſima Trinitate totius Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Ex-Miniſtri Generalis.

EX commiſſione Reuerendiſſimi Patris Hyacinthi Libelli Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri attentè perlegi Librum, cui titulus, *Triumphus Charitatis, ſiuè de Virtutibus & Miraculis Venerabilis Serui Dei Franciſci Solani Ord.Min.Regularis Obſeruantiæ*, per Patrem Tyburtium Nauarrum eiuſdem Ordinis &c. in quo nihil orthodoxę Fidei, aut bonis moribus diſſonum inueni. Immò plura continentur virtutum documenta & exempla; quæ cùm Lectores nonniſi ad earum imitationem inflammare poſſint, dignum cenſeo, qui Typis mandetur, publiciquè iuris fiat. Romæ in Conuentu S. Mariæ de Victoria 30. Martij 1671.

Fr.Dominicus à Sanctiſs.Trinitate Carmelita Diſcalceatus.

Impri-

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sac. Apoſt. Pal.

I. de Ang. Archiep. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

INDEX CAPITVM huius Operis.

LIBER PRIMVS.

DE ortu, pueritia, & moribus Franciſci Solani, nec non de ingreſſu eius in Ordinem Minorum, & Profeſſione. Cap.I. pag. 1
Scientiarum ſtudio applicatur. Ad Sacretdotium promouetur. Magiſter Nouitiorum, & Guardianus inſtituitur. Cap.II. 7
Populorum ſalutem procurat. Peſte laborantidus inſeruit. Et alia exhibet Charitatis officia. Cap.III. 11
Ad Indias Occidentales humilitate & charitate impulſus tranſit. Multa in itinere agit & patitur. Et proximi dilectionē in naufragio ſummā demonſtrat. Cap.IV. 15
E Ciuitate Limana ad Prouincias Tucumani pergit, vbi conuerſiones infidelium multas, & crebra miracula operatur. Cap.V. 23
Diuinæ perfectionis ſigna in eo plurima elucent. Cuſtodiæ Tucumanicæ præficitur, eiquè renunciat. Cap.VI. 30
Conuentui Recollectionis Limanæ præficitur. Officio collato renunciat, & totus prædicationi ac bono proximorum incumbit. Cap.VII. 35
Efficacia prædicationis Ciuitatem Limanam ad agendam publicam pœnitentiam inducit. Cap.VIII. 41
Prophetiæ dono multa futura præuidet, & præſertim Truxilli

xilli deſtructionem. Cap.IX. 47
Occulta multa, & cordium ſecreta cognoſcit. Cap.X. 52
Eodem ſpiritu animas multorum à peccato auertit, & meritorum efficacia corpora ſanat. Cap.XI. 58
De virtutibus Viri Dei Franciſci, & primò de Theologicis Fide, Spe, & Charitate. Cap.XII. 62
De Deuotione Viri Dei Franciſci ad ſacra Chriſti myſteria, & ad Sanctiſſimam Euchariſtiam. Cap.XIII. 67
De Serui Dei ad Beatam Virginem Mariam, & ad Seraphicum Doctorem deuotione. Cap.XIV. 72
De dono Orationis, & contemplationis Serui Dei Franciſci. Cap.XV. 76
De Charitate erga proximum. Cap.XVI. 85
De obedientia, paupertate, & caſtitate. Cap.XVII. 90
De Pœnitentia, Humilitate, & Patientia S. P. Solani. Cap.XVIII. 94
De vltima infirmitate. Cap.XIX. 101

LIBER SECVNDVS.

De mirabilibus, quæ poſt mortem Viri Sancti acciderunt, & de glorioſa eius ſepultura. Cap.I. 109
De miraculis per Viri Dei merita in die eius obitus & ſeulturæ operatis. Cap.II. 113
Proſecutio præcedentium miraculorum: Et quomodò corpus Franciſci Solani è ſepulchro extractum fuerit, vt depingeretur. Cap.III. 119
De miraculis poſt ſepulturam à Viro Dei operatis, & primo

mò de multis Religioſis ipſius interceſſione ſanatis. Cap.IV. 124
De pluribus pueris à morte ſuſcitatis, & à varijs infirmitatibus ſanatis. Cap.V. 128
De mulieribus à partus periculo liberatis; & de lumine duabus reſtituto. Cap.VI. 134
Multi ab vlceribus, alijquè à ſanguinis fluxu, epilepſia, aſma, grauibuſquè morbis ſanantur. Cap.VII. 138
Sedantur ignis incendia, maris tempeſtas placatur, & alia diuerſi generis miracula Viri Dei meritis patrantur. Cap.VIII. 145
Fiunt informationes generales ab Ordinarijs de vita, mortè & miraculis P. Franciſci Solani: Literæ Apoſtolicæ pro ſpecialibus Limam mittuntur, & cum maxima ſolemnitate recipiuntur. Cap.IX. 151
De miraculis ſtatim poſt literarum Apoſtolicarum publicationem, & ſanitatibus Viri Dei interceſſione operatis. Cap.X. 157
Apparitione, imaginis præſentia, inuocatione, & reliquiarum Viri Dei contactu multi ſanantur. Cap.XI pag. 163
Plures à morte pueri ſuſcitantur. Cap.XII. 170
Ab infauſto puerperio mulieres plurimæ liberantur. Caput XIII. 175
Olei lampadum Serui Dei vnctione herniæ, fractiones, & crurium debilitates ſanantur. Cap.XIV. 180
Olei lampadum coram ſepulchro Serui Dei Franciſci ardentium vſu multi à varijs ægritudinibus liberantur,

tur, & bona fortunæ ab ipſo ſeruantur. Cap.XV. 185
De diuerſis alijs ſanitatibus ab illo oleo operatis, nec non de mirabili eiuſdem multiplicatione. Cap.XVI. 190
De miræ virtutis effectibus in animas à Viro Dei productis. Cap.XVII. 197
De æſtimatione & fama ſanctitatis, quam Seruus Dei Franciſcus Solanus apud omnis conditionis homines obtinuit. Cap.XVIII. 201
Refertur vnius ex Societatis Ieſu Patribus de Serui Dei Solani ſanctitate celebre teſtimonium. 208
Patronus multarum Ciuitatum & locorum Regni Peruani terra marique eligitur, pro Canonizationis eiuſdem expenſis pecuniæ dantur, & ad Summum Pontificem epiſtolæ ſcribuntur. Cap.XIX. 213
Status Cauſæ Beatificationis, & Canonizationis Serui Dei Franciſci Solani. 220
Sac.Rituum Congregationis Decreta pro eiuſdem Viri Dei P. Fr. Franciſci Solani Beatificatione & Canonizatione. 224

VITAE



Vera effigies Venerab. Serui Dei P. F. Francisci Solani Indiarum Concionatoris Apostolici Ord. Min. Prouinciæ Andalusiæ in Hispania, qui Limæ obijt die 14. Iulij Anno 1610. ætatis suæ 61.

P. S. inuen. *Romæ Superiorum permiſſu.* *et ſculpſit*



VITAE VENERABILIS SERVI DEI P.F. FRANCISCI SOLANI

LIBER PRIMVS.

De ortu, pueritia, & moribus Franciſci Solani, nec non de ingreſſu eius in Ordinem Minorum, & Profeſſione. Cap. I.

ANNO à Natiuitate Chriſti milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono, Pauli Tertij Pontificis Maximi decimo ſexto, Caroli Quinti Imperatoris Auguſti Hiſpaniarum Regis Catholici trigeſimo quarto, exurgentibus Hæreſum tenebris, & Chriſtianę Europę faciem luctuosè obuoluentibus, ortus eſt Mundo Franciſcus Solanus; qui quoniam ad repellendam ex Americo Hemiſpherio gentilitij erroris caliginem, & lucem orthodoxæ veritatis diffundendam Diuinæ prouidẽtiæ cura deſtinatus fuit, non immeritò Peruani Orbis Sol vnus poterit appellari. Huic tam egregio fœtui patria fuit Montillum Cordubenſis Diœceſis Oppidum, Priegij Marchionatus præcipuum, & in feraciſſima Hiſpaniæ regione Andaluſia ſitum. Paren-

Annus natalis Franciſci Solani. — *Ortus.* — *Patria.* — *Parentes.*

tes ſortitus eſt honeſtos & pios, ab auita virtute, & ſanguinis claritate nō degeneres. Patri nomen Mathæus Sancius Solanus, Matri verò Anna Ximenes, Hidalga fuit: ille inter præcipuos Conciues habitus, in præfati Oppidi Præfectum bis meruit coaptari. Ex horum itaque ſtirpe, quaſi fructus optimus arboris bonæ, natus eſt puer iſte Solanus, vitæ quidem ſanctimonia primus, ſed in ordine filiorum ſecundus. Eodem anno, die Dominica, decima Martij in Eccleſia Sancto Iacobo dicata ſacri Baptiſmatis

Baptizatur. lauacro regeneratur. Illum Parentes à teneris annis timorem Domini, & Catholicam Fidem ſollicitè docuerunt; quorum non tàm præceptis imbutus, quàm Diuinæ gratiæ adiutorio præuentus, ab ipſo puerilis ætatis ingreſſu, & in adoleſcentiæ lubrico

Pueritia. ſe virtutis amantiſſimum exhibebat: à prauis namque conuerſationibus ſtudiosè declinans, & iuuenilis petulantiæ appetitus refrenans, in animæ ſuæ cul-

Mores honeſti. tura indefeſsè laborabat. Hinc tantus naſcentis in eo ſanctitatis ſplendor irradiare cœpit, vt iam cæteros adoleſcentes (qui in illo aliquid vltra humanum deprehenderant) ſola præſentia, aut ab inceptis ludis inhoneſtis, & indecentibus verbis deſiſtere, aut à propoſitis omninò cogeret abſtinere.

Studiis addicitur. In Collegio Societatis Ieſu eiuſdem Oppidi ſtudio literarum addictus, omnium tàm Magiſtrorum, quàm conſodalium ſibi conciliauit amorem, & in ſe, quaſi in modeſtiæ, manſuetudinis, ac virtutis

omni-

omnimodæ ſpeculum, oculos conuertit. Cùm enim nihil puerile proferret, ſed in cunctis conſummatum hominem ſaperet, prudentiam, & diſcretionem demonſtrabat virilem. Pacis, & mutui amoris amantiſſimus erat, & iurgia inter condiſcipulos exorta componere ſatagebat; adeò vt cùm ſemel duos (cum quibus iuxta fluuium Aquilar ambulabat) inter ſe rixantes, & pugnis contendentes vidiſſet, interceſſit medius, vt eos ſedaret; cùmque vnius manu fuiſſet impetitus, non deſtitit, donec reduxiſſet ad pacem, & amico ſecum de ictu inflicto condolenti, ait: *Nihil mihi profectò doloris intulit; finem verò intentum obtinui, dum eos ad priſtinam amicitiam reuocaui.*

Adoleſcentia.

Pacis amicus.

Hanc non ſolùm inter conſocios pueros, ſed & inter ipſos ætate maiores homines ſtatuere concordiam curabat: nam cùm aliquando circa Montiliam duos in agro diſtrictis enſibus certantes reperiſſet, ad eos audacter acceſſit, & verbis melle manantibus, inquit: *Pro amore Dei nolite inuicem tàm periculosè pugnare; nemo enim eſt, qui vos reconciliet, & abſque dubio vos mutuo vulnere interficietis.* His auditis, ſubitò gladios in vaginam repoſuerunt, ac in diuerſas partes abeuntes ab inuicem pacificè diſceſſerunt.

Studebat itaque bonus puer, & ſubſidiuas à ſtudio horas in horti paterni adiuuanda cultura impendebat, vbi dum corpus labori applicaret, deuotis

Occupationes poſt ſtudium.

canticis animum recreabat, & eleuatam in Deum mentem eorum dulcedine conſeruabat. Sciens inſuper amore literarum, extingui non debere affectũ virtutis, interiori cordis profectui ac deuotioni vacabat. Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta recepturus debita ſe præparatione diſponens, ac poſtmodum de receptis humiles gratias in ſecreto orationis Chriſto rependens, ad eorum etiam participationem alios efficaciter hortabatur.

Sacramenta frequentat.

Verùm adeò generoſum militię Chriſtianę athletam nobilior alea, quam ſæculi decebat; in campo Religioſæ paleſtræ erant exercitandæ vires. Quamobrem (Deo inſpirante) ad altiorem perfectionis gradum anhelans in clauſtri ſolitudinem ſecedere meditatur; & tandem maturò conſilio à Patribus Regularis Obſeruantiæ Conuentus Montiliæ Recollectionis, Prouinciæ Andaluſiæ ſacro ſe induit habitu, & eorum aggregari conſortio humiliter poſtulauit. Quem prudentes Religioſi tentatum, ac ſapienter probatum, Anno ſupra milleſimum & quingenteſimum ſexageſimo nono, ætatis illius vigeſimo ad Ordinis Seraphici probationem admiſerunt.

Ordinẽ Minorũ intrat; vbi, & in qua Prouincia.

Habitu Minorum indutus illicò pullulantes in anima virtutum theſauros corã omnibus explicare cœpit: Modeſtiã imprimis ſingularem, cęcã obedientiam, demiſſam humilitatem, diuturnum ſilentium, & ſenſuum rigidam mortificationem vbique præferens,

Nouitiatus virtutes.

rens,

rens, Fratrum oculos, & affectum ad ſe trahebat. Sunt quidem ſacris Recollectionis Prouinciæ Granatenſis incolis communia, pœnitentiæ rigor, aſpera, vilis, & rugoſa veſtis, exacta & longa ieiunia, crebra flagellatio, ſumma paupertas, vno verbo Inſtituti Franciſcani verè regularis obſeruantia: ſunt & alia Nouitiorum ad Religionem aptandorum auſteræ probationis exercitia, ſed hos omnes Franciſcus noſter curſu velocior, & zelo feruentior anteibat; ſub ſago cilicium acutum aptabat ad carnem, ſuberno per annum cortice, Quadrageſimæ verò, & Aduentus temporibus crate ex ligatis in ſimul fuſtibus compacta pro lecto, & ligno pro ceruicali vtebatur: Flagellis ſe frequentibus vſque ad largam ſanguinis effuſionem cruciabat, his quaſi tutiſſimũ virtutum naſcentium cuſtodem ieiunium addebat; & vt iuuenilis feruoris impetus præueniret, abſtinentiæ medicinam adhibebat. Nunquàm enim (vt à probationis, & profeſſionis ſocijs obſeruatum eſt per triennium) carne, piſcibus, aut ouis veſcebatur, niſi in ſolemnioribus feſtis Magiſtri præcepto adſtrictus: Talem ſibi temperantiæ legem præſcripſerat, vt nihil coctum igne diebus Veneris comederet; at verò per omnes Quadrageſimę ſecundas, quartas, & ſextas ferias pane ſolo in cibum, & aqua vteretur ad potum. Taceo quòd communem tunc omnibus Nouitijs pedũ omnimodam tolerauerit nuditatem.

Auſteritas.

Flagella.

Abſtinẽtia.

Religioſi ſilentij frænum cum neceſſitate com- *Silentij cuſtos.*

pul-

pulſus ſoluebat, de rebus tantùm ſpiritualibus ad ædificationem audientium loquebatur. Cùmque pauca ſemper ſingulari diſcretione proferret, conſodales Nouitij dum in raris (quas indulget Religio ad remittendos animos) confabulationibus, verſarentur; præſente Franciſco, nihil leue, aut riſum prouocans, & quod ſanctam religioſitatem non ſaperet, admiſcere audebant. Quam quidem præſentiæ ipſius reuerentiam, donec ad Indias perrexit, apud Fratres perſeueraſſe compertum eſt.

Præſentia illius reuerentiam mouet.

Orationi deditus.

Tam eximias feruentis Nouitij virtutes, quaſi aqua irrigua nouas plantulas, oratio fouebat. Intelligens enim pius Adoleſcens, non futuram perennem mortificationem, aliaſque religioſi animi dotes citò perituras, quas Diuinæ conuerſationis pinguedo non ſaginaret, vacabat indeſinenter contemplationi: præter enim horas, quibus tota Communitas orando attendebat; ille in nocturno ſilentio, poſtquàm corpus diſciplinæ flagellis euigilauerat, per plurium curſus ſanctum orationis exercitium, ſæpè vſque ad ortum diei, protrahebat.

Profeſſio.

His ergo tam bonis principijs ſe verè Diuino impulſu vocatum manifeſtè conteſtans, eo perſeuerantiam inſpirante, qui dederat voluntatem; poſt expletum probationis annum, omnibus conſentientibus, & exultantibus ſacræ Recollectionis Patribus, ſolemnem vitæ, & Regulæ Fratrum Minorum Profeſſionem emiſit.

Scien-

Scientiarum ſtudio applicatur. Ad Sacerdotium promouetur. Magiſter Nouitiorum, & Guardianus inſtituitur. Cap.II.

INſtitutum Regularis Obſeruentiæ profeſſus, virtutes, quas in probatione colere cœperat, non dimiſit, ſed conſummauit. Adeòque incœptam in tyrocinio viuendi rationem firmiter tenuit, vt nunquàm à primo illo ſimplicitatis, obedientiæ, & feruoris tramite deuiauerit. Poſt exactum in Conuentu Montiliæ circiter triennium, ad Recollectionis Sanctæ Mariæ de Loreto Cœnobium ſub perfecto, pioque Guardiano, pro vt optauerat, mittitur. Ibi ſtudio Philoſophicæ diſciplinæ addictus, quanquàm cellarum copia ſuppeteret, tamen in angulo quodã iuxta tintinnabula paruam & humilem ex arundinibus cellulam ſibi conſtruxit; in qua pro ſupellectili lectulus corticeus, & ſedile ligneum erant, & ex paruo foramine lumen manabat: Ibi ſolitarius & à ſtrepitu ſegregatus dies noctesquè aut orans, aut ſtudens ducebat. Theologiæ etiam operam dedit, cuius doctrinas, quas intellectu perceperat, in cibum animæ conuertens, meditatione, fletu, ieiunio, ſtudiorum ariditatem temperabat; ita vt (quod ſæpè multis aliter euenit) hinc doctus ſimul & ſanctus, ſapiens & humilis prodierit.

Perſeuerantia in bono.

Philoſophię ſtudet.

Cella illius qualis.

Theologiæ ſtudet.

Studia eius qualia.

Terminato ſtudij curriculo ad Sacerdotalem Ordinem

Sacerdos fit.

dinem promotus eſt, & prima vice auguſtum Sacrificium in ſolemnitate S.P.N.Franciſci obtulit Deo. Indè cùm cultus Diuini ſollicitus eſſet, ac vocis ſonoræ gratia præſtaret, Chori Vicarius deſignatur, in quo quidem officio accuratè plurimùm & exactè ſe geſſit. Horas nocturnas & diurnas, nè quid in ritu & cantu deficeret, præueniens & præparans, ijs indefectibiliter aſſiſtebat. Superioris quoque imperio ad prædicandi munus aſſumptus eſt, in quo quàm laudabiliter egerit, quàm fructuosè laborauerit, euentus ſubſecuti, & inferiùs narrandi probabunt.

Chori Vicarius.

Prædicator inſtituitur.

Iam plures annos in ſacra illa Recollectione traduxerat, cùm ad alium Conuentum ab obedientia vocatur, & Magiſter Nouitiorum in Arrizafæ Monaſterio præficitur. Hoc in onere ſibi commendato, intelligens Vir Dei efficacius eſſe exemplum, quàm verbum, & Tyronum oculos in Magiſtri vitam, quaſi in ſpeculum cui conformetur, eſſe conuerſos; nouo zelo accenſus totum ſe pœnitentijs dedit, & conceptum in tyrocinio feruorem renouauit. Iuuenum culpas ſua perfectione, acriùs quàm voce reprehendens, & delinquentium errores ſibi adſcribens, pœnam ab eis debitam ipſe ſoluebat; & eorum manibus ſe flagellis cædendum tradens, in proprio corpore alienos expiabat defectus. Carnibus & piſcibus ſibi interdictis, coctorum olerum cibo ſuſtentabatur. Orationi tàm intensè ac frequenter vacabat

Magiſter Nouitiorũ præficitur.

Magiſtri Nouitiorũ munus quomodò exercuerit.

bat, vt eum Nouitij de induſtria (num aliquando quieſceret) obſeruantes, plerumque genibus flexis in cella,aut in Choro (in quo poſt Matutinũ ad Primam vſquè remanebat) orantem deprehenderint,ac tandem grauiſſimis verberibus, ſuſpiria, & gemitus commiſcentem audierint.

Ad tanti Rectoris imitationem prouocati Nouitij in acquirenda perfectione non ſegniter laborabant, quibus aliquando ſciſcitantibus qua potiſſimũ pœnitentia Religioſus Diuinam gratiam mereretur, reddidit dignum Sapiente reſponſum: Tutiorem ad meritum viam eſſe patientiam, ac laborum & tribulationum, præſertim cùm à Parẽtibus aut Religioſis inferuntur, æquanimem tolerantiam. Interrogatus etiam ab illo ſimplicium cœtu, quid dolorem ex flagellis percipiendum augeret: Docebat eos, quòd ſicut Agnus innocens Chriſtus tunica inconſutilis exutus in toto corpore verberum acerbitatem excepit, ſic depoſitis tunicis, non vna, ſed plures corporis partes ſunt flagellandæ. His & ſimilibus documentis teneras plantulas irrigabat, & religioſæ profeſſionis Obſeruantiæ dictis diſponebat & factis. Nouitios exemplo docet, & verbis.

Indè ad Conuentum S.Franciſci de Monte in arduis & aſperis poſitum,ab hominum habitatione ſemotum, & rerum cœleſtium contemplationi aptiſſimum Magiſter Nouitiorum deſtinatur,quo quidem in officio, quas ſupra retulimus, virtutes exercuit: verùm & loci opportunitate vſus priuato profectui Magiſter Nouitiorum iterum.

impenſiùs indulſit; ibi longas protrahebat orationes, ſilentij ac ſolitudinis nō interrupta quiete fruebat: ibi pœnitentiæ ſtrictioris modos adinueniens, nouis ſe mortificationibus affligebat. Erant iuxta Monaſterium horridis acuminibus rigentes ſpinæ, in quas ſe nudum verus Seraphici Patris imitator tamdiù aliquando volutauit, donec totum diro vulnere corpus cruentaſſet.

In ſpinas ſe nudum volutat.

Tàm eximias eius virtutes in bonum Religionis decebat ſemper occupari; quamobrem in Prouinciæ Capitulo prædicti Conuentus S. Franciſci de Monte Guardianus inſtituitur; quod officium, licèt ſumma humilitate recuſauerit, tamen obedientia compulſus ſubiuit. In eo omnes boni Superioris partes impleuit: vigilantiam imprimìs Prælato neceſſariam & ſollicitudinem maximam adhibuit, vt à ſubditis Regulæ præcepta, & ſacræ Recollectionis ſtatuta inuiolabiliter obſeruarentur; & vt efficacior exhortatio fieret, eam exemplo roborabat: ad omnia namque Monaſterij exercitia primus obeunda concurrens, à Choro, menſa, oratione, labore communi nunquàm aberat. Aſſumpto ſacculo oſtiatim eleemoſinas emendicatum ibat: Cunctis affabilis, nulli oneroſus, diſcretè tamen arguendos reprehendebat, & duræ ceruicis ſubditos obedientiæ fræno coercebat. Specialem infirmorum curam ſibi ex officio demandatam exiſtimans, eis ſedulò deſeruiebat, & Infirmarij manus præueniens, eorum lectulos

Guardianus inſtituitur.

Guardiani munus optimè implet.

Humilitas magna.

los componebat, & ſordidam Valetudinarij ſupellectilem lauabat & expurgabat. Præterea vt Fratribus religioſæ deiectionis exemplo præluceret, ſępè dum omnes menſis aſſiderent, lignum aut arundinem dentibus apprehendens, humili modeſtoq; gradu incedens, lachrymis perfuſus, & ſeipſum inculpans in Refectoriū intrabat, & genuflexus ſe virum inutilem, & qui hominum pedibus calcaretur, indignum proclamabat. Tandem opere & ſermone Familiam illam, in quoddam ſanctuarium & pœnitentium quaſi carcerem voluntarium conuertit; & tamen adeò ſanctæ humilitatis virtus animam eius inuaſerat, vt importunis & vrgentibus precibus acceptationem ſuæ ab hoc munere renunciationis extorſerit.

Populorum ſalutem procurat. Peſte laborantibus inſeruit. Et alia exhibet charitatis officia. Cap. III.

VIcinorum Populorū vtilitatibus attendens, prędicationis officium ſibi iam demandatum, dū in illo S.Franciſci de Monte Conuentu moraretur, cum magno adiacentium Villarum prouentu Dei Seruus exercuit. Etenim verbis non inanibus & riſu dignis; ſed medullas cordis penetrantibus, & in oratione, Chriſto docente, conceptis regionis illius incolas informabat. Conuertebantur non pauci, & Predicatio qualis.

vt vitiorum ſordes abijcerent ad Sanctum Prędicatorem peccata confitentes veniebant. Cùm pro eleemoſynis ad loca finitima mitteretur, ſolebat pueros congregare, cum quibus turmatim per vias procedens, ſimul alta voce fidei Chriſtianæ dogmata recitabat. Et ſi fortè adultorum numerus congregatus occurrebat; de Diuino eis prędicabat timore, & ſanctum Domini commendabat obſequium. Terminata concione, licèt Monaſterium à proximiori Caſtello vnius leucæ ad minus, ſpatio diſtaret, ad illud ieiunus redibat; quam ſtrictam diſcretionis & abſtinentiæ legem, etiam dum febre quartana laboraret, quadrageſimali tempore in Villa de Adamùs prædicans, non infregit.

Ob hæc charitatis officia animabus exhibita Vir Apoſtolicus & Sanctus ab omnibus habebatur, ſed augebant famam illius collata etiam corporibus beneficia. Cùm enim in Oppido Montiliæ ad ianuam Didaci Lopez ſemel pro eleemoſina ſtaret, oblatus eſt ei puer paruulus præfati Didaci filius, æger & toto corpore miſerabiliter vlceratus, vt ſuper eo ſanctum aliquod Euangelium pronunciaret. Tunc ille baiulæ mulieri iuſſit, vt amotis linteaminibus plagas detegeret; quibus viſis, miſericordia tactus, admota lingua totum corpus pueri lambit. Ad ſalubrem eius contactum æger conualuit; paucis namque interiectis diebus integram carnis ſanitatem & decorem adeptus eſt.

Mira operatur.

Vlcera pueri lambit & ſanat.

Dùm

Dùm alia vice Vir Dei ad idem Oppidum mendicaturus accederet, in ipſo loci introitu pauperem cruribus vlcere plurimo ſaucijs obuiũ habuit. Tunc memor Chriſti pro nobis in Cruce vulnerati, in terram procidit, & miſeri pedes benignè oſculatus eſt. Hoc oſculo piè creditur reddita pauperi ſanitas, nam elapſo ab hinc menſe, ſanis cruribus, & nulli innixus baculo viſus eſt ambulare.

Oſculo plagas ſanat.

Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio, calamitoſa peſtiferi contagij lue in plures Andaluſię regiones debacchante Montorum Oppidum flagelli Diuini rigorem ſenſit. Huius miſertus Vir Dei, nec minùs corporali, quàm ſpirituali ſubſidio deſtitutis compatiens, obtenta licèt ægrè, à Guardiano licentia, cum ſocio nomine Bonauentura, Sacerdote eodem ſpiritu animato, ad Caſtrum prçfatũ ſe contulit; & annuentibus, immò & exultantibus Parocho & alijs incolis, Noſocomij peſte laborantibus deſtinati curam ſuſcepit. Ibi nullo mortis periculo territus animas infirmorum curabat & corpora; modò eos verbis dulciſſimis ad patientiam, ad humilem cum Diuina voluntate conformitatem, & lucrandam Iubilæi de Cœlo miſſi (ſic enim luem illam vocabat) remiſſionem hortabatur: modò ipſis Sacramenta adminiſtrabat, mox ad ſupremum agonis certamen pijs colloquijs diſponebat. Nec proptereà oblitus ſubſidij corporalis, lectulos componebat, cibos & medicinas parabat, & omni miniſterio

Peſte laborantibus inſeruit.

Charitas magna erga proximum.

iuua-

iuuabat. Illos verò, qui mortem euaſerant, & tabe ægritudinis ſuperata ſanitatis bonum erant conſecuti, in aquis proximi molendini lotos atque mundatos, & priſtinis veſtibus exutos, nouiſque veſtitos, Crucem præ manibus gerens, ac fidei noſtræ articulos alta voce decantans ad propria domicilia reducebat. Indè ad ægrotantium curam reuertens, & inter hos labores alacri facie, vultuque ſemper compoſito perſeuerans, miſeris illis ſingularem ingerebat conſolationem & gaudium.

Intereà chariſſimo eius coadiutore Bonauentura morbi contagio enecato, Seruus Dei non deſtitit; ſed communem anteà duobus, nunc in ſe totam refundens ſollicitudinem, omnium neceſſitatibus indefeſſa vigilantia ſuccurrebat. Ipſe autem, vt amarum ægritudinis calicem deguſtaret, ac Deo probaretur in infirmitate fidelis, peſtis violentiam non effugit: Duplici namque glandula ſeu anthrace correptus, vehementis doloris moleſtiã ſenſit, quam mira tranquillitate mentis ac patientia tolerauit. Verùm ad maiora pro Deo & proximo operanda cœleſti prouidentia reſeruatus, priſtinæ redditus eſt ſoſpitati, ſtatimque primum miniſterium reaſſumpſit; nec ab illo ampliùs ceſſauit, donec repoſito in vaginam Angeli percutientis gladio, ſæuientis peſtilentiæ ignis extinctus fuit. Tunc enim Populo valedicens ad dilectam Monaſterij ſolitudinem ſe recepit.

Peſte laborat.

Elapſo verò non multo tempore, ad Conuentum

Recol-

Recollectionis Sancti Ludouici Regalis, à Granatẽſi Ciuitate vnius leucæ interuallo diſtantem ab obedientia transfertur. Ibi à Guardiano & Fratribus, ob ſpectatas ipſius virtutes, ſumma cum exultatione, & ſingulari reuerentia ſuſceptus, inchoatam iuuandi proximi viam non dereliquit. Illicò namque Cœnobij ægrotis miniſtrare cœpit, & cùm tantę charitati neceſſitas domeſtica non ſufficeret, annuente Superiore, ſæpè ad B. Ioannis à Deo Xenodochium, aut ad Ciuitatis publicum carcerem properabat, vbi Chriſtianos infirmos, aut in ergaſtulo detentos, verbo, miniſterio, & ſacramentalis pœnitentiæ refrigerio conſolabatur.

Charitas erga proximũ.

Infirmos inuiſit.

Carceratos viſitat.

Ad Indias Occidentales humilitate & charitate impulſus tranſit. Multa in itinere agit & patitur. Et proximi dilectionem in naufragio ſummam demonſtrat. Cap. IV.

PRæclara ſanctitatis inditia, quibus Franciſci Solani vita apud homines reſplendebat, magnam ipſi in Hiſpaniæ partibus conciliauerant æſtimationem; quam, vt effugeret, & in angulo quodam (abſq; tamen charitatis diſpendio, & ſine proximi detrimento) incognitus latitaret, periculum mortis non reformidans, ſed glorioſi martyrij agonẽ exoptans, inſtantèr apud Superiores egit, vt Affricanas Barbariæ gentes adeundi ſibi licentia daretur. Verùm ea dene-

Humilitas ſumma.

Honorem fugit.

Ad Affricã pergere optat.

denegata à propoſito non deſtitit, ſed ad longinquas noui Hemiſpherij plagas operarijs euangelicis indigentes reſpiciens, cùm Catholicus Rex Philippus Secundus à Franciſcanæ Religionis Prælatis Fratres ad Indias mitti iuſſiſſet, qui Populis illis Chriſtianæ
Indias petit. veritatis lucem communicarent, occaſionem ſibi ratus fauorabilem Vir Dei ſacris Miſſionarijs annumerari inſtanter petijt; vt pia hac arte præceptum charitatis non frangeret, & humilitatis inſtinctum impleret. Obtenta itaque facultate, Religioſis ſub Patre Balthazaro Nauarro Commiſſario ad Prouincias Tucumani, potiùs quàm alijs ad diuerſas Americæ Regiones pergentibus, ſe ſocium adiungi elegit; quia hanc præ cæteris partem minùs preceptis Euangelicis imbutam, & opera difficiliori audierat indigentem.

Fratribus autem vale dicens, & Populis (quos anteà ſalutaribus documentis informauerat) in tranſitu viſitatis, cum naualibus copijs ſub Domino Garcia Hurtado de Mendozà Caneti Marchione Peruani Regni Prorege, ad Indias tendentibus, & cum pluribus Ordinis ſui Religioſis, Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono ex Hiſpalenſi profectus eſt in naue, quaſi in ſolitudine, Mo-
Nanigantis exercitia. naſterij ſpiritualia exercitia compleuit; nec multitudine nauigantium, aut ſpatij paruitate, ab orationis interno colloquio vel ab externa proximi cura eſt impeditus. Poſtquàm enim à priuatis precibus ceſ-

ſauerat

ſauerat, alios verbis ignitis ad amorem Diuinum incendebat, apprehenſo manibus Crucifixo mortem peccato præferendam conteſtabatur; & quos ſermonis iaculo ſauciauerat, pœnitentiæ ſacramentalis medicina ſanabat.

Viam autem proſequente nauigio, ad Sancti Dominici Inſularum proſpectum venère, ad quas Religioſi quidam (inter quos & ipſe Vir Dei) tunicas loturi deſcenderunt. Hora poſt meridiem quarta, quotquot cymbula capere potuit, ad nauem in alto poſitam redierunt. Remanſit cum alijs Franciſcus, donec ſcaphæ iterùm rediturę beneficio traijceret; quæ quidem ob nimiam diſtantiam vſque ad horam à media nocte ſecundam non eſt reuerſa. Interim verò periculoſę expectationis tædium Seruus Chriſti orationis perſeuerantia ſuperauit, & Barbarorum in horridis illis montibus habitantium ferocitatem (quam alij timebant) ipſe non veritus, gaudio exultans laudes Domini & Deiparæ Virginis altè concinebat, ac conſequendi martyrij optatam ſibi adeſſe occaſionem oris & cordis iubilo tripudiabat. *Martyrij deſiderio flagrat.*

Ad nauem reuerſis omnibus, curſuque nauigationis reſumpto, claſſis Carthagenam appulit, vbi diebus aliquot tranſactis, ad Portum nominis Dei, ſiuè Portouelum, proram direxit; vndè relicto mari Franciſcus noſter cum Prælato, & ſocijs terræ iter aggreſſus Panamam venit. Hac in Ciuitate nullum laborioſę peregrinationis refrigerium admittens, ſibi *Panamæ quid egerit.*

Auſteritas magna. in angulo Chori fiſcum ſparteum pro grabato, & ligneum ceruical aptauit; terminatis officij & orationum horis, ad Vrbis Xenodochia infirmis humiliter miniſtraturus tranſibat. Xenodochia viſitat.

Elapſis nõnullis diebus, ſacri Miſſionarij nauem Ioanuis de Morgana ingreſſi, è Panamæ portu ſoluerunt. Vix autem velis extenſis eam ad Peruana Regna direxerant, cùm ecce iuxta Sinum Gorgonæ nauigantibus ſubitò tempeſtas oborta eſt, cuius impetu, & ventorum flantium furore, nauis hinc indè reiecta circa mediam noctem in arenas impegit; & violẽtis impulſibus conquaſſata exundantibus aquis aditum aperuit; quibus & imbrium ab aere decidentium copia certum minabatur naufragium, & præſens mortis periculum miſeris intentabat. In extrema hac ſalutis deſperatione Nauta cymbulam mari commiſit, in qua cum pręcipuis Viris & Religioſis ad terram properare decreuit; rogatur itaq; Vir Dei Franciſcus, vt ſe cum ſocijs morti ſubduceret. Sed cùm maiorem hanc charitatem in corde geſtaret, qua pro amicis & proximis vita ponitur: cõſiderans quòd infœlix exitus expectabat eos, quos ſuſcipere ſcapha non valebat, ſui corporis vitam ſpirituali eorundem ſaluti poſtponens, adduci non potuit; vt afflictos illos, quorum quamplurimi Barbari Gẽtiles Nigri in aquis Baptiſmalibus veterem Adam nondùm ſepelierant, omni deſtitutos auxilio deſereret. Altè itaquè exclamans, ait: *Abſit, vt lucis temporalis amore,*

Naufragiũ patitur.

Charitas in proximum ſumma.

ab

ab iſtis fratribus meis in vtriuſquè vitæ diſcrimine poſitis ſeiungar. Mox Cruce aſſumpta, eos ad oculos in montem Diuinæ miſericordiæ leuandos, & ad ſperandam ab illo, qui dominatur poteſtati maris, fluctuum mitigationem eſt cohortatus: Barbaris quoque Gentilibus in feruore ſpiritus Chriſti nomen, paucis, ſed efficacibus verbis, annunciauit, & ſufficienter diſpoſitos Baptiſmi lauacro regenerauit.

Vitam propriã pro bono proximi deſpicit.

Vix onerata dignioribus cymbula ad littus tendere incœperat, cùm valida maris procella, & fluctus irruentis violentia nauem in duo fragmenta diuiſit, quorum vnum cum multis hominibus, inter quos recens baptizati nonnulli, æquor abſorbuit; alterum, in quo Vir Dei cum pluribus, aquis ſupernatauit. Ad tàm luctuoſi caſus euentum, omnes pauor extremus inuaſit; ſolus Franciſcus intrepidus Crucem oſtentans, eos ab alto puppis ad ſpem in Domino collocandam hortabatur; adfuturum poſt tres dies auxilium, & nauiculam ad eos reuerſuram affirmabat. Vt autem in corporum periculo animarum ſecuritati prouideret, eos ſecunda poſt peccati naufragium tabula, pœnitentiæ ſcilicet Sacramento, ad portum ſalutis inueniendum diſpoſuit; ac etiam vt propitium miſeris Cœlum redderet, intùs cordis hoſtiã ſuſpirijs & precibus, foris corporis victimam flagellis ſuper nudos humeros iniectis immolauit. His in anguſtijs totum tridui ſpatium duxère, non alio cibo refecti, quàm verbi procedentis ex ore Franciſci; quo

In Naufragio virtus, exhortationes, orationes, & pœnitentię.

Prophetia.

ſe quidam ità fuiſſe roboratos profeſſi ſunt, vt nullam ſenſerint famis inediam.

Prophetia impleta.

Tandem iuxta Viri Sancti ſermonem cœleſtis aura ſubſidij cœpit aſpirare, cereis enim quibuſdam à mari in nauem reiectis (quod aliqui miraculo Serui Dei precibus operato adſcripſerunt) & accenſis, his qui in ſcapha ad littus traiecerant, ſe adhuc ſuperſtites & prompto eſſe indigentes auxilio ſignificàrunt. Die ergo tertio (vt impleretur verbum Franciſci) educta ab aquis cymbula, quibus erat immerſa, necnon ſufficienter inſtructa, Remigum manu ad miſeros redijt naufragantes: in quam non priùs deſcendit Vir Sanctus, donec omnes in eam fuiſſent recepti, tuncquè depoſito habitu & fune colligato, tunica interiori veſtitus, Crucem manu gerens, ad nauiculam vndarum motu aliquantiſper à naue ſeiunctam natando peruenit, proiecta verò veſtis in aquas decidit. Vix ſcapham ingreſſi ſunt omnes, cùm quod hucuſquè ſupernatauerat nauis fragmentum, ſubitò in profundum maris demerſum eſt. Illi verò ſalui & incolumes delati ad terram, per bidui viam ad tuguria (in quæ ſe ſocij receperant) acceſſerunt, eiſquè quantam à P. Franciſco conſolationem & auxilium accepiſſent, narrauerunt.

Habitum miraculosè ab aquis recipit ſiccum

Contigit autem in ipſo maris egreſſu res non prętereunda ſilentio, quòd ſcilicèt Vir Dei ad querendum (quem in fluctus cecidiſſe diximus) habitum iuxta pelagi oram progreſſus, impoſſibilem aſſerentibus

tibus alijs eiuſdem inuentionem; ille quaſi de exitu non incertus, reſpondit: *In Deum ſpero, quòd Seraphicus Pater meus Franciſcus, quam mihi Ordinis ſui largitus eſt veſtem, nunc reſtituet.* His dictis iter proſecutus intra ſemihoram habitu & caputio indutus, & cingulo præcinctus, nullo madefactionis in eis remanente veſtigio, ad alios redijt.

Qui verò tempeſtates maris euaſerant, in terra poſitis mortiferæ famis cruciatu laborabant: in regione enim illa deſerta & aſperis montibus rigente, nihil aliud miſeris ſuppetebat ad victum, quàm inſipidæ radices, & fragiles herbæ, necnon genus aliquod pomorum mortem intra 24. horas comedentibus afferentium. His commotus ærumnis pius Pater, herbas manu propria colligebat, & in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis benedictas cæteris porrigebat. Sæpè etiam piſces (Diuina, vt creditur, arte) ab aquis eductos ſingulis diuidebat, quibus alimentis charitate Viri Sancti conditis, omnes ſani & incolumes per ſexaginta peregrinationis dies perſtiterunt. Prætereà vt Dei iuſtitiam flecteret, in tuguriolo anguſto & paupere oratorium extruxit, & in eo Altare cum imagine Dei Genitricis Mariæ à naufragio erepta; vt iuxta eam quotidiè ad veſperam, *Salue Regina* decantaretur. Inſuper ab hinc quingentis paſſibus aliud ſibi habitaculum anguſtiſſimum erexerat, in quod, poſt adminiſtratum cæteris verbum Dei & cibum corporalem, ſe recipiebat; ibiquè continuis ora-

Charitas in proximum.

Cibos alijs adminiſtrat.

Piſces arte Diuina ab aquis extrahit.

orationibus (inter quas apparitione cœleſti viſus eſt aliquandò gaudere)pœnitentijs & flagellis æternam implorabat Clementiam. Cùmque occaſione ſuppellectilis è mari ad littus reiectæ, inter naufragos illos, alia periculoſior irarum & diſſenſionum tempeſtas eſſet exorta; Vir Sanctus illam extinguere volens, ex tugurio ſuo nudus (retentis dumtaxat brachijs) egreſſus, aſpero verberum imbre ex humeris ſanguinem innocentem extrahente, clamoroſiſquè gemitibus animos diſſidentium ità amollijt; vt pacem ſubitò ineuntes, ad pedes eius confuſi, & veniam deprecantes prociderent.

Diſſidia placat.

At verò cùm poſt naufragium, inſtructa nauicula, Pater Balthazar Nauarrus Commiſſarius cũ quibuſdam Hiſpanis, ad Ciuitatem Panamam, centum indè leucis diſtantem, victum & nauem petiturus nauigaſſet;iam quinquaginta dies ab eorum diſceſſu effluxerant, nec optati ſubſidij ijs, qui in horrido deſerto remanſerant, hora apparebat. Itaquè vigilia Natiuitatis Chriſti eluceſcente, ſpem omnem euadendi abijcientes, in luctuoſos gemitus, & miſerandos clamores ora ſoluerunt. His in anguſtijs Vir Dei Franciſcus ipſa Natalis nocte totus mente abſorptus, iubilans & exultans, quaſi Angelus pacis, tugurium (in quo iacebant) ingreditur, eoſquè pro imminenti conſolatione ad laudes Deo & Virgini deferendas inuitat. Verbis illius totiès probatis illicò fides adhibetur, luctus in gaudium conuertitur,

Prophetia alia.

& dies

& dies Natalis Chriſti cum magna omnium lætitia celebratur. Triduo nondùm elapſo, impleta eſt prophetia Franciſci; redeunt ſocij, nauem cibis onuſtam à Regali Panamæ Auditorio acceptam adducunt. Omnes refocillati vſque ad Portum Paytæ fœliciter nauigàrunt. Franciſcus verò itinere terreſtri cum alijs Religioſis ad Ciuitatem Limanam perrexit. Prophetia impletur. Limam aduentat.

E Ciuitate Limana ad Prouincias Tucumani pergit, vbi conuerſiones infidelium multas, & crebra miracula operatur. Cap.V.

VT ſacri Miſſionarij confractas tàm laborioſa peregrinatione corporis vires in Vrbe Limana reſumpſerunt, iterùm difficiliori viæ ſe committentes ad Prouincias Tucumani, vel vt vulgari nomine dicitur *Rio de la Plata*, ſeu Flumen argenti, vltra ſeptingentarum ſpatia leucarum per inuia & arida loca, fluuijs rapidis & profundis interſecta, per mille pericula, & immenſos labores, ſolo ſalutis animarum zelo ſtimulati, contenderunt. Illis equidem barbaris & feris nationibus, nuper Euangelicæ claritatis lumen Patris Ildephonſi à Sancto Bonauentura Prouinciæ Andaluſiæ, regularis Obſeruantiæ Recollecti prædicationibus affulſerat; quem etiã præceſſerat Fr. Ludouicus Bolanus, tunc dumtaxat Diaconus, qui quoniam illorum idiomata perfectè didicerat, Doctrinam Chriſtianam & Cathechiſmũ Ad Tucumanum pergit. Labores in itinere.

Limen-

Limenſem in eadem traduxit; ac poſtmodum factus Sacerdos, magnam multitudinem Eccleſiæ gremio aggregauit, Regionum illarum Apoſtolus meritò appellandus.

Ad hanc vineam excolendam & multiplicandam, noſter Franciſcus ſe deſtinari optauit; in quam ingreſſus, Populorum qui Socotonium & Magdalenam incolunt, ac plurium aliorum curam ſuſcepit, vt eos quaſi Paſtor & Parochus ſanctis imbueret doctrinis, & Sacramentis initiaret: ac proptereà ſe omnibus Apoſtolici Miſſionarij virtutibus muniuit. Imprimìs opera verbis anteponens, orationibus, ieiunijs, & voluntarijs cruciatibus ſpiritum Deo, & carnem ſpiritui ſubijciebat; modeſtiam, manſuetudinem, zelum, charitatem & rigidam in pedum nuditate, in habitus vilitate & in cibi parcimonia pœnitentiam exhibebat. Videbatur frequentèr in Eccleſia ore in terram pronus, & in figuram Crucis extenſus, ex intimo cordis longa cum Deo protrahere colloquia, & ſe ſuumquè miniſterium eius protectioni commendare. His accinctus armis, vt bellum vitijs alienis ea expurgando & arguendo indiceret, linguis Gentilium illorum difficillimis addiſcendis ardenter incubuit; quas, non tàm acumine ingenij & memoriæ ſagacitate, quàm Diuina communicatione transfuſas accepit. Omnium namquè teſtimonio res mira, & cœleſtis viſa eſt, quòd breuiſſimo tempore tàm perfectè omnia illa confuſa &

Miſſionarij Apoſtolici virtutibus relucet.

Linguas Indorum facilè addiſcit.

varia

varia idiomata (præſertim Toconoticũ intra quindecim dies) didicerit, vt ſe clarè intelligibilem redderet, ipſoſquè natiuos locorum incolas facilitate & proprietate dictionum ſuperaret, ac in ſermone deficientes corrigeret. Quòd cùm Barbari, Diuinam non intelligentes gratiam, aduerterent, in principio arti magicæ tribuebant. Immò famæ publicæ teſtimonio proditum eſt, quòd Hiſpanico Caſtellæ idiomate Diuinas edocentem doctrinas, variæ nationis Indi, quaſi propria cuiuſquè lingua loquentem intelligebant. Lingua Hiſpana loquẽs ab Indis intelligitur.

Illas itaq;loquelas edoctus,in verbi Diuini prędicatione ſedulò laborauit: Percurrebat enim omnes illas horridas regiones, & mortis timore poſtpoſito, ad remotiores partes euangelicos ſermones deferebat. Nulli parcebat labori, nulli difficultati, vt errantes illas oues è Lupi tartarei truculentis faucibus eriperet. Omnium confeſſiones benignè excipiebat, afflictos & in anguſtijs poſitos verbis dulciſſimis ſolabatur, & eorum miſerias quaſi proprias reputabat. Infirmorum ſpecialem ſollicitudinem gerens, eos frequenter viſitabat, & alimenta ſecum delata porrigebat. Grauitèr ægrotantem Indum ſemel inuiſit,cui in agone verſanti, & loquela priuato, altè exclamans ſignificauit, vt materno idiomate(quod ſe, licèt aliàs incognitum,intellecturum aſſerebat) cordis ſecreta,& voluntatis occulta loqueretur. Tunc æger ſoluta ad voces lingua, Chriſtia- Prædicatio in Indijs. Charitas erga Indos.

nam legem doceri ſe, & ad Baptiſmi Sacramentum diſponi expetijt. Edoctus ergò à Sancto Patre, & ſalutari lauacro ablutus, quieuit in pace.

Māſuetudine Indos conuertit.

Ad deuotiſſimos Viri manſueti ſermones depoſita feritate Barbari conuertebantur, quos ſacris vndis mundatos vitæ ſpirituali regenerabat. Alij ipſius fama ſanctitatis allecti, ad eū ſpontè veniebant, quos benignè inſtructos baptizabat; ſicquè innumeram eorum multitudinem Euangelica benignitate ſicurauit. Tantaquè erat eius apud omnes æſtimatio, vt quod Iuſtitiæ rigor & metus pœnarum ab illis extorquere non poterant, ipſe ſolo vocis imperio obtineret: vocati quippè ſtatim aderant, & quæ fieri iubebat, alacres exequebantur.

Indos ſicurat.

Aeſtimatio eius apud Indos.

Huius auctoritatis, quam ſibi humilitate & amore comparauerat, inditium eſt; quòd cùm aliquandò in die ſancto Cœnæ Domini, dum Chriſtiani ſacris ritibus occuparentur, numeroſa multorum millium caterua infidelis & barbara, armis inſtructa bellum, & mortem fidelibus illatura conuenit. Ad quem inopinatum euentum perterriti Chriſtiani, magnam ſui ſtragem metuebant: cùm Vir Dei Franciſcus gladio ſacri verbi ad medullas pertingētis armatus acceſſit, & licèt diuerſæ ſibiquè ignotæ linguæ homines vnius idiomatis ſermone allocutus ſit; adeò fructuosè tamen doctrinam Catholicam, pacem & concordiam annunciauit, vt ex illis vltra nouem millia conuerterit, & Baptiſma petentes

Indos à ſtrage Chriſtianorum auocat.

Indos multos vnica prædicatione cōuertit, & quot.

Chri-

Chriſtianos effecerit. Quorum quidem tàm vera & ſincera mutatio fuit, vt eorum quamplurimi eadem nocte ſe ſimul cum Catholicis, ad Chriſti in columna pro nobis flagellati imitationem, flagellauerint. Ex tunc autem fama publica apud gentes illas inualuit, quòd vnico prædicans idiomate à multis variarum linguarum fuerit diſtinctè perceptus. Eadem quoquè manſuetudinis innatæ potentia Populos prope Ciuitatem Sancti Iacobi de Eſtero incolentes, à mutuis quibus conflagrabant odijs, ſtatim ad pacem reduxit.

Diſſidia cōponit.

Augebant hanc Viri Sancti famam & æſtimationem magna, quæ Populis contulit beneficia & miracula, quibus coruſcauit. Cùm in territorio Oppidi Talaueræ à Matrito, è Prouincia & Epiſcopatu Tucumani apud Indos terræ Socotonij Euangelica dogmata prædicaret; audito, quòd ob aquæ penuriam, quidam ex illis Populis graue paterentur incommodum, & diſceſſum ab hoc loco cum magna ſui iactura & labore meditarentur: adfuit Homo Dei, & Diuino lumine illuſtratus, non procul latere aquarum venam affirmauit. Negabant illi ob diuturnam ariditatis experientiam: at hic egreſſus cum eis in agrum, locum in terra omninò arida, baculo deſignauit, & incredulis, vt foderent, iuſſit. Quibus vix terram ſcindere incipientibus, fons aquæ dulcis & nitidæ copioſiſſimus emanauit; cuius tanta adhuc abundantia perſeuerat, vt molen-

Miracula patrat.

Fons miraculosè ſcaturit. Eius aqua ſalutaris.

dinis duobus voluendis ſufficiat,& vſquè in hodiernum diem, *Fons Sancti Solani* ab Hiſpanis, Indiſquè terrigenis dicatur; atquè inſuper ad ſanandos ab infirmitatibus homines, virtutem habere mirificam ſignis quamplurimis comprobatur.

Aquā ſitientibus miraculosè prouidet.

Peregrinante Viro Dei per illas Tucumani inaquoſas regiones, & ab Oppido Sanctæ Fidei à Paraguai Cordubam pergente, contigit; vt in toto tridui itinere, ad quartam vſquè diem aqua deficeret. Erant in comitatu multi ſitis æſtu aduſti, ſed inter illos duo milites præ cæteris impatientes animam deſperationi, & linguam horrendis blaſphemijs laxarunt. Tunc Franciſcus acri dolore ob iniuriam Deo illatam commotus, Venerabili Viro Patri Andreæ de Fiſaguirra Ordinis B. Mariæ de Mercede Prædicatori ſimul progredienti, ait: *Licèt, quas in Dei nomen euomunt, blaſphemiæ illos omni gratia reddant indignos; tamen eis, & alijs aquæ fontem indicare volo. Tu itaquè ad collis huius culmen aſcende, ibi locum aridum, ſterilem, & vento apertum, in eoquè chartulam in medio plicatam inuenies: Ad duos vltrà paſſus lapis rotundus eſt, quem ſi amoueris, ſcaturientem aquæ venam deprehendes*. Obediuit iſte voci Serui Dei, & eo quo ſignificauerat ordine, cuncta reperijt. Aqua autem ab omnibus ſufficienter hauſta, cùm chartula, quam infrà reliquerat, aſſumere vellet, non adinuenit. Deſcendens tandèm de colle, & ad Virum Sanctum

reuer-

reuerſus, faciem eius igneo quodam colore & miro ſplendore ſuffuſam eſt demiratus. Indè viam proſequentibus, vbi patibulum iuxta Cordubam erectum apparuit, ad præfatum P. Andream conuerſus Franciſcus Solanus, duos illos milites ob illatam cuidam crudeliſſimam mortem in eo, die ſequenti, ſuſpendendos prædixit. Et reuerà miſſis eodem die à Præſide Audientiæ Charcharum informationibus, iuſſi ſunt apprehendi, & iuxta verbum Prophetæ, altero mane ſuſpendio necari.

Prophetia, Militũ mortẽ prędicit.

Accidit etiam aliquandò, vt ab Indo ad ſepeliendum defunctum filium rogaretur; cuius cùm domum intraſſet, puerum ſanum & iuxta ignem ſe calefacientem reperit. Arguit propterea Parentes, quòd ſibi ità illuſiſſent; at illi filium verè mortuum fuiſſe affirmabant: Vndè exijt ſermo inter omnes finitimos Populos, quòd puer ille precibus & meritis Viri Sancti Solani fuiſſet à morte ſuſcitatus.

Mortuus ab eo ſuſcitatus dicitur.

Dùm in omnium Sanctorum Oppido Tucumanæ Prouinciç, Dei Seruus Franciſcus infirmitate detentus moram faceret; illo ſpiritu, quo Chriſtus Dominus Nathanaelem ſub ficu vidit, illuſtratus, quãdam Indam Petri Soteli ſeruam ſe proprijs manibus ſuſpendio necantem agnouit. Quarè vocatum Emanuelem Muñez Presbyterum rogauit, vt quãcitiùs ad tale montis latus, per hanc & illam viam iret, ac quam ibidem reperturus erat Indam, ad ſe deduceret. Perrexit itaquè iſte, ſed in itinere oc-

Occulta & remota videt.

cur-

currentis cuiuſdam, confabulatione detentus, tardè nimis acceſſit, cùm iàm Indam vltimum halitum emittentem inuenit. Reuerſo ad ſe Sanctus Pater dolens, & mortem miſeræ lugens detentionis occaſionem diſtinctè aperuit: Adiungens, vt cùm ad meridiem Hiſpanis ſuſpenſa occurreret, ab ipſiſmet Indis cadauer flammis comburi in exemplum ipſorum, & facinoris deteſtationem, iuberet. Poſt hæc autem ipſe Vir Sāctus grauem ad Indos ſermonem habuit, cuius efficacia permoti, hoc genus mortis impoſterùm pro abominabili habere cœperunt.

Indos à mala ſe ſuſpendendi conſuetudine reuocat.

Diuinæ perfectionis ſigna in eo plurima elucent: Cuſtodiæ Tucumanicæ præficitur, eiquè renunciat. Cap. VI.

Protectio Diuina circa ipſum.

AD maiorem Serui Dei Franciſci Solani apud Indos reuerentiam plurimùm cōferebat Diuina protectio, quæ ipſum in omni periculoſo euētu peculiari aſſiſtentia tuebatur. Cùm aliquandò in Oppido Sancti Michaelis Prouinciæ Tucumani, ſolemnis taurorum exercitatio haberetur; indomitus quidam & ferox repagula tranſgreſſus, aliquos Indos miſerè enecauit. Tunc fortè per eandem viam Seruus Dei incedebat, quem cùm à ferocis belluæ occurſu nulla vis humana eripere poſſet, non tamen ideò timore correptus eſt; ſed cruento animali intrepidè funiculum ſuum obiecit, illud verò conti-

Taurum ferocem manſuefacit.

nuè manſuefactum ore & olfactu chordam contingebat, mox quaſi in ouem mutatum vlteriùs progreſſum eſt. Magna fuit Populi ſpectantis admiratio, immò & ipſe Gubernator obuium ſe Franciſco faciens, ait: *Sic Pater tauros feroces domas*? At ille totum Diuino beneficio euentum humiliter adſcripſit.

Apud Populum Socotonij notiſſimum eſt, quòd cùm alia vice Franciſcus Solanus eandem Tucumani regionem peragraret, obuium habuit indomitũ taurum, qui ſua ferocitate illàc tranſeuntes valdè terruerat. Huic ad ſe cum furore currenti genuflexus Vir Dei manus innocentes obiecit, quas etiam curuato poplite animal exoſculans pacificè in montem receſſit, & liberum ipſi iter reliquit. Sic tandem & alius nõ mitior taurus viſus eſt Sancti Patris manus lambere, habitum ore venerari, & qui alios in periculum vitæ conijcerat, ſub iſto Dei amico manſuefieri & ſicurari. Taurũ alium Item alium

Cùm Prouincias illas Vir Sanctus euangelizando percurreret, ad ripam rapidi & profundi fluminis venit; vbi deficiente nauicula, eleuatis ſursùm oculis, pallium ſuper aquas ſtrauit, & fide quaſi remige ductus, proſpero Diuini auxilij vento, cum omnium ſpectantium ſtupore traiecit. Aliàs flumen tranſeunti aquarum impetus pallium fortè eripuit, & in decliuiores vndarum decurſus adduxit: Ad aduerſam oram cùm perueniſſet Vir Sanctus, Fluuium ſuper pallium traijcit.

viam

viam ad ſuperiora proſecutus eſt ; quidam verò Andreas Garcia de Valdes, qui in comitatu erat, aliquantulùm cum eo progreſſus retrogredi voluit, vt fortè reiectum ab aquis pallium reportaret. Et ecce ad locum, in quem in traiectu appulerant, illud ſuper herbas complicatum, & quaſi manu humana repoſitum inuenit, licèt decurrẽtis fluuij tractu multò inferiùs fuiſſet deferendum.

Prophetia.

Cùm ab Oppido Sancti Michaelis ad Ciuitatem Sancti Iacobi de Eſtero tranſiret, recuſato omni itineris adminiculo, ad flumen profundum, ob hybernam tempeſtatem plus ſolitò rapidum, & exundans perueuit. Traijciendi nulla ſpes erat, hinc metus culicum, quibus hic tractus infeſtari ſolet, illinc famis in deſerta regione periculum erat: tranſitum expectabant cum Viro Dei vltra viginti homines, & ex parte oppoſita quadraginta currus, & copioſa viatorum multitudo. Horum mœrore afflictus Franciſcus, ad Deum conuerſus prompti remedij ſpem certam accepit, & circumſtantibus ait: *Ne terreamini, fratres chariſsimi, craſtina enim die hora nona* (tertia ante meridiem eſt) *fluuium nitidum, & aquis demiſſum traijcietis; & quoniam vos eſurire cognoſco, cænam miniſtrare volo.* Mox proiecta in aquas rheticula plurimos piſces extraxit, & ſe ſolo, paratos & coctos alijs in abundantem eſcam diſtribuit; omneſq; etiam illa nocte à nullo infeſtari culice, ſuæ efficacia virtutis impetrauit. Die autem

Fluuiũ exũdantem vadoſum facit.

Charitas erga proximum.

ſequen-

ſequenti, & hora prædicta fluuius quietus, demiſſus & ad vadum facilis apparuit; quem cùm omnes ex vtraquè ripa traieciſſent, ſubitò ad priſtinam redijt altitudinem, licèt nec toto illo tempore pluerit, nec naturalis aliqua cauſa de nouo acceſſerit.

Quadam die locuſtarum denſiſſima nubes Capitanei Andreæ de Inoiſa triticum inuaſit. Vocatus in auxilium Vir Dei, aſſumpta ſtola, & factis de more exorciſmis, aqua luſtrali granum aſperſit; poſitiſquè genibus inſecta animalcula iuſſit intacto tritico abire, & montes infidelium quoſdam digito prçoſtendens, ac manifeſtè deſignans, ad eos illicò tranſuolare. Auditum eſt à locuſtis Franciſci, vel meliùs Dei in ipſo loquentis, imperium; ſubitò receſſerunt, & ad deſignatas terras agmine denſo congregatæ per aera tranſierunt. Sciſcitantibus autem hominibus, cur eas imprecationibus non affeciſſet, reſpondit Vir pius: *Quia ſicut olim illis Ioannes Baptiſta, ità nunc Indi eiſdem in cibum vti ſolerent.* Locuſtis imperat, & obediunt.

His temporibus Capitulũ Prouinciale in Valle de Xauxa, præſidente Patre Franciſco Antonio Ortiz Prouinciarum Peruanarum Commiſſario, celebratum eſt, in quo Vir Dei Franciſcus Cuſtodiæ Tucumanicæ Moderator eligitur. Ad hoc munus non intumuit, ſed tantò feruentiùs ab eo liberari rogauit, quantò auidiùs à multis alijs officia ſimilia ambiuntur. Obedientia tamen adſtrictus acceptauit, ac vt Cuſtodis debitum religiosè impleret, Cõuen- Cuſtos Tucumanicæ Cuſtodię eligitur, Cuſtodis officium opti-

E tus

mè implet. tus ſibi traditos diligentèr viſitauit, in quibus vt veræ ſanctitatis ſpeculum elucebat. Cùm in Oppido Talaueræ ab Eſtero aliquandiù Cuſtos hæſiſſet, obſeruatus eſt à Religioſo pio, & fide digno noctes inſomnes in orationibus & flagellationibus tranſigere, viſus eſt cilicio & aſperrimis ferarum crinibus ad cutem indutus. Auditus eſt etiam verbis cœleſtibus & ignitis ſuas promere exhortationes, & ab omni verbo iocoſo, aut otioſo abſtinens, ſemper ad Diuinum obſequium ſubditos prouocare.

Cuſtodis officio renunciat.

Tandèm Vir Dei Franciſcus poſt multos in hac ſummi Patrisfamilias vinea excolenda perpeſſos labores, anno in officio Cuſtodis expleto, cùm pro renunciationis acceptatione apud Superiores frequenter inſtaret, votorum compos efficitur: Ac

Humilitas.

inſuper à præfato Commiſſario ad Ciuitatem Regum vocatur, vt ibi Recollectioni nuper inſtitutæ fundator & Rector præeſſet. Igitur obedientiæ morem gerens, ex Prouincijs illis diſceſſit, vndè Populorum, & præſertim Indorum magna fuit mœſtitia; quippè qui dicerent ſe ſuo Sancto Patre & conſolatore priuari, dolebantquè ſe tàm parum eius præſentia potitos. Quidam autem ipſi peculiariter deuotus nè abſque charo eius pignore remaneret, ab eo funem, quo cingebatur, petijt. Cuius quidem contactu magna ſunt operata miracula, nec eſt in illa regione mulier parturiens, quæ Sanctum Franciſci Solani nomen non inuocet, & ſe eius chordâ

Recollectioni Limenſi præficitur.

Indi eius abſentiam lugent.

Chorda eius mira operâtur.

non

non cingat;vndè in Oppido S.Iacobi de Eſtero cum magna reuereutia ſeruatur. Tantùm autem fuit in illis partibus Viri Sancti deſiderium, vt multotiès pro reuocando ipſo apud Prælatos inſtiterint; qui votis tàm iuſtis annuiſſent, niſi nimia locorum diſtantia, ætas & infirmitas continua Franciſci obſtitiſſent. Quidam verò Religioſus poſt aliquot annos ex Prouincijs illis reuerſus, Indos de Sancti Patris abſentia triſtes,& de eius reditu adhuc fuiſſe ſollicitos affirmauit. Apud Indos celebris eius memoria.

Conuentui Recollectionis Limanæ præficitur. Officio collato renunciat,& totus prædicationi ac bono proximorum incumbit. Cap.VII.

COmmiſſarij Generalis mandato Limam reuocatus Vir Dei Fräciſcus Solanus nouo Recollectionis Sanctæ Mariæ Angelorum Cœnobio Vicarius & Præfectus præponitur. Hoc quidem officium obedientia victus ſuſcepit, ſed humilitatis vrgente virtute breuì retinuit, necnon ad demiſſionis voluntariæ acceptationem crebris inſtantijs Superiores adegit: Poſteà à P.Ioanne de Monte-maiori Commiſſario Generali eiuſdem Cõuentus Guardianatum delatum lachrymis, ſuſpirijs ac precibus à ſuis, quos infirmiores reputabat, humeris rursùs abiecit. Et vt ſe à Prælatorum oculis ſubduceret, Truxillum quaſi ad quoddam latibulum mitti cu-

Recollectioni præficitur.

Officijs ſæpè renunciauit.

rauit, vbi aliquandiù commoratus eſt; donec tandem Limam pro maiori virtutis theatro, in Capitulo Prouinciæ ad curam Conuentus S. Mariæ Angelorum obeundam accerſeretur. Hoc tamen per quatuor menſes adminiſtrato, poſt multas ſupplicationes ad optatam ſubditi vitam redire permiſſus eſt.

Limæ multa agit.

Dùm ergò in Limana Ciuitate & locis conterminis moraretur, ſe à Deo illùc vocatū agnoſcens, totis viribus in hoc agro expurgando, curando, & fœcundando laborauit: Modò prædicationi linguā ſòluens, modò confeſsionibus aurem aperiens, modò charitatiuis operibus manum extendens. Frequentèr in plateas Ciuitatis prodibat, vbi educto (quem ſub manica gerebat abſconditum) Crucifixo, verbis ignitis & Apoſtolicis prædicabat; ibi Saluatoris noſtri Paſſionem, amorem Dei, odium vitij, virtutis honeſtatem audientibus Populis commendabat. Aliquandò per Vrbis calles progrediens, erecto Crucifixo, voces ſalutis proferebat; vbi tantus erat accurrentis multitudinis confluxus; vt per vias communes tranſitus occluderetur. Hinc etiam in Eccleſias, ad quas peculiari aliqua celebritate Populos conueniſſe viderat, ingrediebatur, & aſcendens ſuggeſtum breuiter; ſed feruenter Diuinos proferebat ſermones, & indè ſe ad idem miniſterium aliò velociter transferebat. Sæpè Diuino ſpiritu animatus ad theatra & ſpectacula prophana per-

Prędicat.

In vijs publicis.

In Eccleſijs.

In theatris.

pergebat, & poſtpoſito humani reſpectus rubore, in eminentem locum, vel in ipſam ſcenam conſcendebat, ac Redemptoris pro nobis patibulo Crucis affixi cruentam oſtentans figuram; omnes ad acerbam Paſſionis tragœdiam verbis, lachrymis, & ſuſpirijs inuitabat: Sæpè poſt exactas coram Seraphici Doctoris Bonauenturę (cui deuotiſſimus erat) imagine longas orationes, ex generali Superioris ſibi facta licentia, exibat in publicum, & res Diuinas miro mentis & oris ardore promebat. Sæpè ad loca ludis & recreationibus mundanis deſtinata, ac proindè blaſphemijs, iuramentis, & omnibus patentia peccatis ſe conferens; ludentes, blaſphemantes, rixantes animosè redarguebat, & à malis conuerſationibus retrahebat, hiſquè medijs maximas operatus eſt conuerſiones. **In locis ludorum.**

Egreſſus ſic aliquandò ad prædicandum, in quatriuio Ciuitatis primam habuit exhortationem, cui in principio tres aut quatuor ad ſummum aderant auditores: Sed elato in altum Crucifixo, eos tàm potenter ad amorem Diuinum prouocare cœpit; vt ſtatim magna Populi multitudo accurrens, viarum exitus intercluderet. Indè ſequentibus turbis, ad plateam perueniens, tandem poſt geminam concionem, vix præ nimia circumſtantium frequentia ſe ſe expedire, & ad Conuentum redire potuit. Solebat autem terminatis huiuſmodi ſermonibus pede præpropero ad Monaſterium reuerti, & vt applauſus ſe **Concurſus Populi ad audiendum eum.** **Humilitas.**

ſequen-

ſequentium effugeret, in aliquo eiuſdem angulo latibulum quærere.

Colloquijs priuatis omnes informat.

Inſuper priuatis colloquijs Moniales in Monaſterijs, captiuos in carceribus, ægros in Xenodochijs, ſæculares in occurſibus & viſitationibus inſtruebat; hocquè ſalutari diſcretæ & ſecretæ correctionis, aut confabulationis remedio, multos ad viam ſalutis reduxit. Acceſſit aliquandò ad Conuentum Incarnationis Ciuitatis Limanæ, ibi Monialem quandam inimici tentationibus concuſſam, & de ſuſceptis Religioſæ vitæ mortificationibus afflictam, tædioq; affectam vnico ſpirituali colloquio ab omni cordis anguſtia liberauit, & priſtinæ quietis cōpotem reddidit. Sic & aliam Monaſterij Immaculatæ Conceptionis eiuſdem Ciuitatis Religioſam è Clauſtro diſcedere cogitantem, verborum efficacia à propoſito deterruit, & ad meliorem ſtatum reduxit. Cùm in Monialium Diſcalceatarum Sancti Ioſephi Monaſterio ſæpiùs prædicare ſoleret, incredibile eſt, quantùm deuotæ illæ Virgines ſub tanto Magiſtro & Concionatore in perfectione Chriſtiana, & regulari Obſeruantia profecerint.

Monialem à tentatione liberat.

Item aliam.

Peccatorem conuertit.

Petijt aliquando enixè & cũ magno cordis mœrore vir quidam ſæcularis à Patre Ioanne Lainez, vt ſibi promptè pœnitentiæ Sacramentum impertiri dignaretur. Cauſam tàm inſtantis, & lachrymoſæ petitionis rogatus, reſpondit: Sibi per clauſtrũ Conuentus ambulanti occurriſſe Religioſum quendam

facie

facie ignotum, qui genuflexus ipſum orauit; nè deinceps Deum offenderet, & vt peccata confeſſione deleret, admonuit. Interim Seruus Dei Solanus illàc fortè tranſiuit, quem pœnitens ſæcularis è vultu agnoſcens, illum eſſe, quo admonente & rogante ſpiritum compunctionis ſuſceperat, teſtatus eſt: ac poſtmodùm adeò menti ipſius ſacra Viri Dei exhortatio impreſſa remanſit, vt & Miſſæ frequentiùs adeſſe, & Sacramentis crebriùs cum magno lachrymarum profluuio participare ſit viſus.

Iuuenem quendam fortè in eodem Clauſtro repertum hortatus eſt Chriſti Famulus vt Diuina ſeruaret præcepta, & Deum toto corde diligeret; hiſquè dictis, ab eo receſſit. Ità verò adoleſcentem ad contritionem mouit, vt ſtatim de ſæculi contemptu, & de ſacro Religionis Inſtituto amplectendò vehementem impulſum ſentiens, mox habitum Minorum in Conuentu Sancti Franciſci induerit. *Item alium ad Religionem.*

Inuiſit ſemel Vir Dei Doctorem Albertum de Acuña, Decanum Audientiæ & Cancellariæ Ciuitatis Regum, quem de rebus cœleſtibus allocutum, adeò commouit; vt ipſe, alijquè confabulationi præſentes, ſe eius verbis mirè inflammatos fuiſſe teſtati ſint: Ità vt dicere potuerint; *Nonnè cor noſtrum ardens erat in nobis, dùm loqueretur, & aperiret nobis ſcripturas?* *Corda audientiũ mouet.*

Mariæ Arbanal in Franciſcanum Ordinem multùm propenſæ, in ſpiritus feruore ter aliquandò re- *Ad amorem Dei inflammat.*

petijt:

petijt: *Filia, amare Deum*; & in tertia repetitione ſuſpenſus, & quaſi à ſe ipſo abſtractus remanſit. Illa verò his vocibus, quaſi ignitis iaculis ſauciata magnũ interiùs ardorẽ, & ineffabilem cordis dulcedinẽ ſentiebat; adeòquè ipſius breuis hæc exhortatio impreſſa impoſterùm remanſit, vt eam ſemper auribus ſuis intonari cogitaret. Immò tanta erat eius ſermonum efficacia, vt quidam fidei probatæ vir aſſeruerit, ſe dùm Sanctum Patrem loquentem audiret, quaſi animi deliquium ex amoris & teneritudinis violentia pati ſolere.

Ad confitẽdũ inducit.

Capitaneum Franciſcum de Vileja ſibi multùm amicum & deuotum Dei Seruus aliquoties rogauit, vt quod ab ipſo peteret, non denegaret; cui ille, temporale aliquod (vt iamdiù optabat) ſe collaturum beneficium exiſtimans, libentèr aſſenſit. Tunc Sanctus Pater: *Rogo, vt quamcitiùs poteris, peccata confitearis, & deindè ea diligenter caueas*. His monitis acquieuit Capitaneus, & præmiſſa confeſsione vitam emendauit, ac paucis poſt annis inteſtatus deceſsit.

Exhortationum feruor.

Anno Domini 1609. magnus terræ motus Ciuitatem Regum nocte concuſsit; die verò ſequenti orantibus coram Sanctiſsimo Sacramento patenti in Eccleſia Minorum Fratribus & ſæcularibus repentino motu terra contremuit, quo trementes ac perturbati omnes fugam arripere tentauerunt. Ad quæ Vir Dei Franciſcus ſtans, & Populũ ab egreſſu

auer-

auertens, tàm ſanctè ac feruidè prædicauit; vt omnes mirè compuncti peccata deteſtari incœperint, nec non lachrymis, ſuſpirijs, atquè orationibus Diuinam implorauerint miſericordiam, & placauerint iuſtitiam.

Efficacia prædicationis Ciuitatem Limanam ad agendam publicam pœnitentiam inducit.
Cap. VIII.

CVm olim Aſſyriorum caput Niniue omnium ſcelerum corruptela fœteret, Diuino mandato eam ingreſſus eſt Ionas, & futuram poſt quadraginta dies eius ſubuerſionem prænunciauit. Attamen, quia immutabilis Deus nouit mutare ſententiam, ſi nouerit homo emendare delictum; ideò ſecuta Niniuitici Populi pœnitentia, cœleſtis furoris impetum placauit. Magna etiam & enormia Limanæ Ciuitatis delicta læſi Numinis iuſtitiam prouocabant, cùm ecce Vir Dei Franciſcus Solanus (vt piè creditur) Spiritu Diuino impulſus quadam die ad veſperam, Anno 1604. è Conuentu Recollectionis Sanctæ Mariæ Angelorum (cui tunc præerat) ad Ciuitatem egreſſus eſt, in exitu dicens oſtiario: *Commenda me Domino, quoniam ad magnum ei obſequium præſtandum vado.* Vrbis plateam maiorem ſecutus, graui & modeſto, ac pœnitentiam inſpirante vultu, ſe coram Populo ſiſtit; quo con-

Prędicatio efficiſſima.

 grega-

gregato, vitiorum corruptionem, concupiſcentiam & libidinem acritèr reprehendere cœpit. Quoniam autem ſacris Concionatoribus à Domino dictú eſt: *Non eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*; factum eſt, quòd ſicut Chriſtus, dùm illum Euangelij locum Math. 26. *Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud*, in medium adduxit; non de templo, ſed de corpore ſuo intelligi voluit: ità Franciſcus, fœces peccatorum acri reprehenſione perſtringens, ac ſpiritualem deprauatæ Vrbis perditionem annuncians, textum illum 1. Ioan. cap. 2. *Omne quod eſt in Mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*; dùm allegauit, non Ciuitatem illam materialem, ſed animas habitantium, triplici illo carnis, auaritię & ſuperbię malo citò deſtruendas, & graui ſupplicio puniendas minabatur. Qui verò Prædicatoris linguam mouebat Deus, audientium captum ità temperauit; vt omnes de Ciuitatis Limanę deſtructione Seruum Dei propheticè loqui exiſtimauerint. Hinc ergò rumor vniuerſam Vrbem de imminenti eius euerſione percurrens, omnes tremore & pauore mortis perculſit; nemine dubitante futurum, quod à Viro tàm Sancto, & toties vera annunciaſse probato, prædictum vulgabatur. Ergò ſe tota Ciuitas luctu & mœrore induit; omnis ætas & ſexus, omniſquè conditio pectora tùndebant, miſericordiæ Diuinæ preces propitiatorias offe-

Limana Ciuitas ad publicam pœnitentiam inducitur.

offerendo: panduntur Ecclſie, patet Auguſtiſsimum Sacramentum, fiunt amariſsimę confeſsiones, quibus excipiendis magnus Confeſsariorum Vrbis numerus non ſufficiebat. Alij à multis annis crimina horrenda celantes, tunc ea poſtpoſito verecundiæ fræno, effuſis lachrymis, & voce flebili annunciabant: Alij cùm ad Sacerdotis pedes pro priuata confeſſione præ multitudine prohiberentur accedere, abdita conſcientiarum vulnera publicè manifeſtabant. Inter hos fuit quædam mulier adeò Diuini iudicij timore perterrita, ac de ſcelerum ſuorum fœditate conuicta; vt altè exclamaret propter ſua crimina perituram Ciuitatem, præſertim cùm etiam hac ipſa nocte incæſtuoſam cum proprio filio copulam propoſuiſset habendam. Puer etiam quidam duodecennis (vt videbatur) ad pedes Superioris Conuentus Sancti Auguſtini prouolutus, adeò horribilem & humanam etiam eccedentem malitiam confeſsus eſt; vt poſtmodùm eam ſecum Confeſſarius recogitans, non hominem, ſed Diabolum ſub hac figura latentem fuerit ſuſpicatus. Hac nocte inueterata odia, & interni rancores depoſiti ſunt; amicitiæ renouatæ, debita ſoluta, rapta reſtituta, fama compenſatà; ac tandem tales fuère fletus, dolores, pœnitentiæ, vt hanc dexteræ Diuinæ mutationem extitiſſe nullus ambigendi locus ſuperfuerit.

Peruenit etiam ad Religioſorum Monaſteria ſalutaris ille terror; dum Conuentus Sancti Domini- Religioſicō. mouentur.

gregato, vitiorum corruptionem, concupiſcentiam & libidinem acritèr reprehendere cœpit. Quoniam autem ſacris Concionatoribus à Domino dictũ eſt: *Non eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*; factum eſt, quòd ſicut Chriſtus, dùm illum Euangelij locum Math. 26. *Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud*, in medium adduxit; non de templo, ſed de corpore ſuo intelligi voluit: ità Franciſcus, fœces peccatorum acri reprehenſione perſtringens, ac ſpiritualem deprauatæ Vrbis perditionem annuncians, textum illum 1. Ioan. cap. 2. *Omne quod eſt in Mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*; dùm allegauit, non Ciuitatem illam materialem, ſed animas habitantium, triplici illo carnis, auaritię & ſuperbię malo citò deſtruendas, & graui ſupplicio puniendas minabatur. Qui verò Prædicatoris linguam mouebat Deus, audientium captum ità temperauit; vt omnes de Ciuitatis Limanę deſtructione Seruum Dei propheticè loqui exiſtimauerint. Hinc ergò rumor vniuerſam Vrbem de imminenti eius euerſione percurrens, omnes tremore & pauore mortis perculſit; nemine dubitante futurum, quod à Viro tàm Sancto, & toties vera annunciaſse probato, prædictum vulgabatur. Ergò ſe tota Ciuitas luctu & mœrore induit; omnis ætas & ſexus, omniſquè conditio pectora tundebant, miſericordiæ Diuinæ preces propitiatorias offe-

Limana Ciuitas ad publicam pœnitentiam inducitur.

offerendo: panduntur Ecclſie,patet Auguſtiſsimum Sacramentum, fiunt amariſsimę confeſsiones, quibus excipiendis magnus Confeſsariorum Vrbis numerus non ſufficiebat. Alij à multis annis crimina horrenda celantes, tunc ea poſtpoſito verecundiæ fræno, effuſis lachrymis, & voce flebili annunciabant: Alij cùm ad Sacerdotis pedes pro priuata confeſſione præ multitudine prohiberentur accedere, abdita conſcientiarum vulnera publicè manifeſtabant. Inter hos fuit quædam mulier adeò Diuini iudicij timore perterrita, ac de ſcelerum ſuorum fœditate conuicta; vt altè exclamaret propter ſua crimina perituram Ciuitatem, præſertim cùm etiam hac ipſa nocte incæſtuoſam cum proprio filio copulam propoſuiſset habendam. Puer etiam quidam duodecennis (vt videbatur) ad pedes Superioris Conuentus Sancti Auguſtini prouolutus, adeò horribilem & humanam etiam eccedentem malitiam confeſsus eſt; vt poſtmodùm eam ſecum Confeſſarius recogitans, non hominem, ſed Diabolum ſub hac figura latentem fuerit ſuſpicatus. Hac nocte inueterata odia, & interni rancores depoſiti ſunt; amicitiæ renouatæ, debita ſoluta, rapta reſtituta, fama compenſatà; ac tandem tales fuère fletus, dolores, pœnitentiæ, vt hanc dexteræ Diuinæ mutationem extitiſſe nullus ambigendi locus ſuperfuerit.

Peruenit etiam ad Religioſorum Monaſteria ſalutaris ille terror; dum Conuentus Sancti Domini- Religioſi cō. mouentur.

ci Patres in gemitus & clamores illicò prorumpentes, omnes afflictionis voluntariæ armis accincti, aut flagellis aſperrimis, aut catenis ferreis in ſe ipſos ſæuirent. Mox ordinata proceſſione, à parte Nouitiatus in Eccleſiam Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum honorificè deferendo, deuotis cantibus pias Lytaniarum preces cœleſti iuſtitiæ placandæ obtulerunt.

Prorex Peruanus caſū inquirit.

Regebat eo tempore Peruanum Regnum Excellentiſſimus Vir Comes Montiſ-regalis, qui audita Ciuitatis commotione ad ſe Conſilium Auditorij Regij eadem nocte conuocauit, cum quo expenſis repentini terroris circumſtantijs, Illuſtriſſimū quoquè Vrbis Archiepiſcopū Toribium Ildephonſum Mogrouejo duxit deſuper conſulendum. Re igitur inuicem collata, placuit Antiſtiti & Proregi per prouiſorem Archiepiſcopatus Michaelem de Salinas Patri Commiſſario Generali Prouinciarum Ordinis Seraphici Peruanarum in eadem Vrbe exiſtenti ſignificare, vt caſum diligenter examinaret. Vocatus itaquè Vir Dei Solanus ad præſentiam Cōmiſſarij intrepidè acceſſit, & cuidam Fratri, nè timeret, dicenti reſpondit: *Scias, Frater Ioannes, me ex Diuino prædicaſſe mandato.* Iuſſus ergò prædicationis verba repetere, illum præſertim Epiſt. 1. Ioan. c. 2. v. 16. textum, ac reliquam concionem tàm efficacitèr & feruenter adduxit; vt omnes (qui plures aderant) Religioſos ad planctum commouiſse, & multorum

capillos

capillos præ timore iudicij Diuini erexiſse notaretur.

Declaratio autem Viri Dei,qua ſe de animæ,non de Ciuitatis deſtructione, verba hæc intellexiſse aſſerebat, ſcriptis conſignata ad Archiepiſcopum & Proregem delata fuit, qua ad ſedandam Populi formidinem & perturbationem publicata; cùm nihilominùs timor creſceret, & planctus augeretur, Gubernator Prorex ad aſſiſtentes ait: *Nè fruſtrà laboremus, opus enim hoc Dei eſſe patet, quo ſua Maieſtas indurata hominum corda, & ad malum procliuia voluit emolliri, & ad bonum conuerti.* Et reuerà Diuino planè impulſu Franciſcum hæc protuliſse patet: quanquàm enim nihil aliud intẽdiſse ſibi conſcius eſset, quàm animæ triplici illo iaculo percellendæ ſpiritualem deſtructionem; tamen in Dei mente materialem Ciuitatis iacturam Populo fuiſse prænunciatam, niſi fortè conuerſus iram vltricem placaſset, piè & rationabilitèr iudicari poteſt.

Prorex quid ſenſerit.

Mens Dei impleta.

Fructuoſæ autem prædicationis materiam & ſtylum Sanctus Pater non aliundè, quàm ex aſſidua oratione, aut ex Diuino hauriebat eloquio; indè enim pungentes illas, & acres deducebat reprehenſiones. Ex contemplationis, & ſacræ Scripturæ fontibus aquas vberes traxit, quibus vniuerſam terræ illius faciem irrigauit. Nec erat ſterilis aut arida Franciſci prædicatio, eò quòd motus, quos alijs ſuggerere intendebat, priùs ſibi familiares omninò eſſe-

Prędicationis materiã vndè hauriebat.

effecerat; ideòquè auditoribus planctum ſuaſurus & fletum, imitandum in vultu & oculis præferebat mœrorem. Interim Diuina explicando myſteria, extra ſe aliquandò rapiebatur, & eorum conſideratione liquefactus, vocis & ſenſuum vſu deficiebat, facundiſquè verbis ſilentium magis ſubſtituebat. Quadam die ſolemnitatis Sancti Didaci dum in Cõuentu Limano ſermonem habens pretioſam eius mortem referret, in hæc verba ab illo quondàm prolata: *Dulce lignum, dulces clauos*, deueniens; adeò ſe liquefactionis teneritudine ſenſit immutatum, vt in medio ſermonis tacere, & à ſe omninò abſtractus è cathedra reſilire ſit coactus.

Extaſis in prædicando

Cùm ſemel in die Viſitationis B. Mariæ Virginis Monialibus S. Claræ verba ſalutis proponeret, in illo Cantici loco: *Et exultauit ſpiritus meus*, oculis ad Cœlum erectis, mira de Virgine, & de Verbo in eius viſceribus humanato adduxit. Iterùmquè eadem verba: *Et exultauit ſpiritus meus* proferens, tantam ſenſit dulcedinem & exultationem; vt extra ſe raptus, capite ad cratis marginem inter brachia reclinato, quaſi ſponſa Canticorum langueſcere ſit viſus. Diram Saluatoris Paſſionem dum in imagine Crucifixi exhiberet, lachrymarum imbre perfuſus, induratos & inſenſibiles auditorum animos ad contritionem & gemitum excitabat. Vno verbo, hic verus Seraphici Patris filius, & fidelis Diſcipulus, Populo vitia & virtu-

Item alia.

Paſſionẽ Domini cõpaſſiuè prædicat.

tes

tes, pœnam & gloriam cum breuitate ſermonis annunciabat.

Prophetiæ dono multa futura præuidet, & præſertim Truxilli deſtructionem. Cap.IX.

ORationis fons profundiſſimus eſt, à quo amœniſſimi ſcaturiunt riuuli, & quaſi è fœcundiſſima cauſa multiplices effectus; indè profectò oriebatur illa cœleſtis luminis participatio, qua Serui Dei illuſtrata mens futuros euentus in tenebroſa contingentiæ caligine videbat, & inſcrutabilia humani cordis arcana penetrabat, quaquè magnum prædicationibus ſuis æſtimationis pondus addebat. Suppetunt equidem innumera illius reuelatę cognitionis exempla, quorum præcipua, & magis vtilia hìc enumerare ſufficiet. Prophetiæ Frãciſci Solani multæ.

Cùm, vt ſuprà diximus, è Limana Ciuitate officia ſibi oblata detrectaturus Truxillum ſe recepiſſet, & in illo Cõuentu delatum ſibi Guardiani munus ægrè geſtaret; die 11. Nouempris 1603. Sancto Didaco ſacra, ſermonem ad Populum habens, prẹoſtenſam ſibi diuinitùs eiuſdem Ciuitatis deſtructionem ac ruinam quindecim, antequàm eueniret, annis prænunciauit: Addiditquè quòd quantùmuis ea (in qua loquebatur Eccleſia) terræmotus violentia concuteretur, ac ſuper pulpitum in quo concionabatur, parietum ruentium moles decideret; hoc tamen Truxilli deſtructionem prẹdicit.

tamen intactum nullo modo confringeretur. Quæ omnia iuxta eius verbum impleta ſunt; menſis nãque Februarij die 14. Anno 1618. octauo videlicèt poſt eius obitum, horribili terræmotu loci illius ædificia & templa ſolo æquata ſunt, ac ſub eorum ruinis magna hominum copia ſepulta: ipſa autem (in qua hæc prophetauerat) cathedra abſque detrimento perſtitit, & ſub eadem bona quædã & inops vetula periculum & mortem euaſit. Hæc etiam dùm prædiceret Vir Sanctus, Didacum Sancium & Mariam Ortegam coniuges, vt fugerent à ventura ira admonuit; qui ſermonibus eius obedientes in Ciuitatem Limanam ſe receperunt; vbi cùm aliquandò P. Didacus Curiel Obſeruans Recollectus præfatæ Mariæ ob ærumnas, quas Limæ patiebatur, reditum Truxillum ſuaderet: Reſpondit illa ſe à Sancto P. Solano olim fuiſſe edoctam, quòd ſi tempore terræmotus infallibiliter futuri illìc moraretur, ſub ruinis foret miſerè ſepelienda. Quæ quidem Serui Dei prophetia etiam in hac parte completa fuit, cùm infœlix illa mulier, Truxillum paulò antè terræmotum reuerſa, ſub decidente macerie ſuffocata remanſit.

Mortẽ etiã mulieri prænunciat.

Periculoſi partus doloribus ad grauiſsimos agonis conflictus Domina Maria de Sylua Georgij Manrici de Lara Ordinis Sancti Iacobi Equitis, & in Regia audientia de la Plata Auditoris vxor deuenerat; deſperabatur à Medicis exitus prolis, cui

nulla

nulla niſi ſectionis via patebat. At quoniam ea mortis periculum afferre ſolet, ideò ad quemcunq; tàm duri remedij euentum, Sacramentorum receptione parturiens mulier diſponitur: Quæ illa mœſto corde recogitans, ſibi ante quatuor menſes à Patre Franciſco Solano dictum meminit; vt ipſum cùm pariendi tempus inſtaret, ad ſe vocaret, quia magnum ex ſua præſentia erat receptura ſubſidiũ. Rogatus itaquè Vir Dei paratum crudelis ſectionis remedium ſtatim diſſuaſit, ipſam protinùs pulchrũ maſculum parituram affirmans: interim augebãtur prægnantis dolores, caligare cœperunt oculi, & ſenſuum officia deperdi; ità vt crederetur ab omnibus in mortis agone verſari. Aderat inter alios Secretarius maior regiminis Peruani, qui in vltimum medelæ experimentum moribundam chorda Patris Solani circumdari voluit: vix illam ſacer funis cõtigit, cùm ſtatìm ad ſe reuerti, vireſquè reſumere viſa eſt. Tunc præfatus Secretarius & Seruus Dei in aliud proximius cubiculum recedentes, ibi breui ſpatio temporis tranſacto, liberatam à partu puerperam, & egregiam peperiſſe fœminam, ab omnibus & ab ipſa obſtetrice acceperunt. Vir autẽ Dei, quem infallibilis veritas euentum certa prædictione docuerat, deceptos omnes in ſexu prolis reſpondit: *Obſeruent*, inquit, *diligentèr*; *quia maſculus eſt, & Franciſci nomine decorandus*. Inſpecto ergò fœtu, pulcher & decorus filius eſſe comperitur, ac in

Partus euẽtum futuri.

Chorda Viri Dei parienti ſalubris.

Sexum prolis recentis diuinitùs agnoſcit.

G ſacro

ſacro Baptiſmatis lauacro, ob Serui Dei reuerentiam & amorem, Franciſci nomen accepit. Quanquàm autem Mater illa plurimos in temporum decurſu genuerit filios, iſte tamen omnibus vita longiore ſuperſtes fuit.

Religionis ingreſſum cuidã prophetizat.

Pater Ludouicus ab Ayala Societatis Ieſu Religioſus, cùm adhuc in ſæculo degeret, ſe aliquandò vitam regularem amplexurum à Viro Dei Franciſco audiuit. Cuius & aliud ſpiritus prophetici irrefragabile ſignum habuit, dùm laborante mortali ægritudine, & à Medicis deſperato ipſius Parente Ferrerio de Ayala, eum Serui Dei precibus commendaturus ad Conuentum S. Mariæ Angelorum acceſſit. Nam ab oratione, cui ab omni humana conuerſatione ſegregatus à quibuſdam diebus vacabat, ſe ipſo deſiſtens Vir Sanctus, ac ſe conueniri præuidens, ad oſtium Monaſterij perrexit; & ſolita vultus lætitia alterius verba præueniens, bis repetijt: *Valdè ægrotat Pater tuus; hæc tamen infirmitas non eſt ad mortem*. Effectus præter humanam ſpem ſubſecutus, eius promiſſum confirmauit.

Et infirmi ſanitatem.

Similitèr & Patri Andreæ ab Eizaguirra Ordinis B. Mariæ de Mercede Religioſo ad ſe pro Vicario Generali dictę Religionis ægrotante, precibus commendando venienti occurrit in clauſtro Franciſcus, eumquè præueniens, ait: *Dic Patri Vicario Generali, nè Deum tentet; ſed pratinùs è lecto conſurgat*. Inſupèr plurimos caſus ipſimet P. Andreæ prędixit; qui

cùm

cùm omnes ſucceſſiuè euenerint, propheticum Serui Dei ſpiritum conteſtantur.

Filius Mariæ de Ortega induendo ſacræ Auguſtinianæ Religionis habitu admiſſus, iam corona monachali ſignandus, & veſte regulari erat inſigniēdus; quo audito Mater ad Conuentum S. Franciſci accurrit, & Patri Solano conqueritur, quòd filius iampridem Ordini Minorum à ſe conſecratus, modò Auguſtiniana tunica veſtiretur. Cui Beatus Pater reſpondit: *Religioſus quidèm puer erit, non tamen in Sancti Auguſtini familia.* Domum ad hæc reuerſa mulier adoleſcentem ab incœpto propoſito mutatum inuenit; qui poſteà Franciſcanum ingreſſus Ordinem, Frater Lucas Sancius eſt appellatus. A Religione vna egreſſum & ad aliam ingreſſum prædicit.

Dùm ſemel per Limanæ Ciuitatis vias prædicaturus exijſſet, ſimul cum copioſa plebis multitudine acceſſit ſerua quædam Nigra ſemeſtrem puellũlum brachijs gerens; ad quam conuerſus Vir Dei, & infantulum allocutus, ait: *Parue Angele mori, antequàm peccare.* Has, licèt incertæ ſignificationis, voces excepit ſerua Parens, & lachrymabunda domum reuerſa eſt: fletus cauſam quærenti Patronæ, reſpondit; ſe certum filioli interitum dolere, quem Vir Dei Solanus prædixerat moriturum. Et reuerà notatum eſt, quòd cùm ægrotare cœpit Franciſcus, infirmatus eſt puer, & triduò poſt eius mortem è viuis deceſſit. Pulluli mortem.

Ambulanti per clauſtrum Conuentus Limenſis

Proximam hominis mortem.

homini deprauato, & vitiorum corruptione multorum contaminato, obuiũ ſe fecit Vir Sanctus, eumquè monuit; vt à via peſſima ad ſalutis ſemitam media pœnitentia conuerteretur, quoniam futuri erant dies eius pauci, & finis interitus imminebat. Perterritus admonitione peccator compunctus eſt, & ab ijs, quibus ſibi dicta retulerat, amicis eodem anno febre quartana occubuiſſe memoratur.

Ortum prolis, & vxoris mortem.

Aegrotauit aliquãdò periculoſa ægritudine vxor Gregorij Lopez, Parentes verò infirmæ in maritum malè affecti, ſe omnem ea defuncta ſublaturos eſse (quã attulerat) dotem minabantur. Afflicti hominis caſum edoctus Franciſcus, ipſum admonuit; nè fruſtrà mœrore conſumeretur, naſcituram quidèm ei in breuì ex vxore filiam, quæ ab huiuſmodi formidine ipſum liberaret, Coniugem autem (Deo ſic ordinante) morituram. Veritatem aſſertionis euentus ſubſecutus probauit.

Occulta multa, & cordium ſecreta cognoſcit. *Cap. X.*

Occulta multa prædicit.

DOmina Ioanna de Sylua P. Bonauenturæ à Salinis & Corduba Mater, grauibus infirmitatibus iampridem afflicta, & lecto detenta à Viro Dei viſitari ſolebat. Quadam verò die ad veſperam R.P. Ioannes Sebaſtianus Societatis Ieſu Prouincialis eandem inuiſens, poſt propoſita conſolationis

verba

verba & ſalutis monita in angulum cubiculi cum Seruo Dei Franciſco ſeceſſit: qui dùm inuicem demiſsè confabularentur, & infirma tranquillè quieſceret, ſubitò infremens ſpiritu Vir Sanctus ad lectulum properauit, & ægrotam, vt Dæmonis ſuggeſtionem (quam tunc patiebatur) detegeret, interpellauit. Cui illa reſpondit, Sathanam modò in mentem ipſius inducere velle peruerſam cogitationem, grauiora ſcilicet ipſam iam pati in cubili, quàm Chriſtus ſit paſſus in Cruce, & acerbiores ſicut & diuturniores eſſe eiuſdem dolores quàm Saluatoris cruciatus; in quo cùm Diuinitas humanæ naturæ roborauerit infirmitatem, & trium horarum ſpatium tormentis acrioribus dederit finem, non erat, cur illius ærumnæ ſuis conferrentur. Admirati ſunt circumſtantes hoſtis tartarei fraudes, ſed ad ſpiritum Viri Dei inuiſibilia penetrantem magìs obſtupuerunt; qui quam nec verbis, nec ſignis, nec motibus infirmæ nouerat tentationem, didicerat reuelatione.

Dæmonis ſecretam ſuggeſtionem cognoſcit.

Eandem ad vltimum vitæ periodum tandē perductam, conſilijs & orationibus ſubleuaturus inuiſit: Quæ cùm ob vehementium dolorum ſupina iacere teneretur, ſtatim vultu lætitia perſuaſo ſuper lectulum ſedere incœpit. Acceſſit ad eam Vir Dei, & Diuino lumine, quid noui contigiſſet agnoſcens, ſtupentibus ob caſum alijs, eam verbis dulciſſimis monuit; quatenùs ob gloriam Dei, & ad circum-

ſtan-

ſtantium vtilitatem, viſionem, quam viderat, & noua, quæ cœleſtis nuncius attulerat, enarraret. Cui illa morem gerens ait: ſe Angeli ſui Cuſtodis benigno poſitam aſpectu, ac eius didiciſſe colloquio condonata ſibi fuiſſe peccata, & in breui ſe carne ſoluendam, ac ab eodem in Regnum beatitudinis transferendam; & his dictis intra exiguum tempus ſuauiter expirauit. Ex quo manifeſtè liquet, Virum Dei aut mundis purgatiſquè oculis Angelicam detexiſſe præſentiam, aut quod corporalis acies lucis non poterat, prophetici ſpiritus intelligentia retuliſſe.

Item Angeli Cuſtodis inſpirationem.

Frater Bernardus Arias Minor Laicus, dum annum probationis ageret, graues circa vocationem religioſam patiebatur tentationes; cùmq; aliquandò Viro Dei celebranti miniſtraret, vrgentiſſimum Dæmonis de repetendo ſæculo, & habitu abijciendo ſenſit impulſum. Hanc inimici ſuggeſtionem Diuino lumine perſpiciens ſanctus Sacerdos, occaſione lotionis manuum miniſtro vicinior factus, voce demiſſa; nè à circumſtantibus audiretur, ait: *Noli Frater veſtem exuere, nec diabolicæ voci obedias; caue, nè te decipiat.* Obſtupuit ad hæc tentatus Nouitius, & ſibi priùs ignotum Patrem cœpit impoſterùm vt Prophetam reputare; eiuſquè monitis acquieſcens, in ſancta vocatione perſeuerauit.

Tentationē ſecretam videt & compeſcit.

Quidam Limanum Conuētum ingreſſus, vt Religioſum ſibi familiarem inuiſeret, dùm vocatum in clauſtro expectat, à Viro Dei conuenitur; & an amicum

Peccata occulta cognoſcit.

cum

cum quæreret, interrogatur. Qui de charo ſibi Religioſo illum ſciſcitari exiſtimans, annuendo reſpõdit: At pius Pater ſe non de temporali amico, ſed de vero & æterno animarum dilecto Chriſto (quem hic grauiter offenderat) ſe locutum affirmans, hominem ſollicitè monuit; vt à peccatis abſtineret, ac proximam peccandi cum tali muliere fugeret occaſionem, meretricem illam omninò deſereret, ac nè illa nocte ob paratum ei mortis laqueum, in Vrbem exiret. His verbis emollitus, & ſtupefactus peccator ad promptam confeſſionem inductus eſt: quæ quia repentina nimis defectu præparationis videbatur, inſtauit Franciſcus, ac in ſuam curam eius diſpoſitionem ſuſcepit. Dùm ergò ille cellam Serui Dei ingreſſus conſcientiæ reatus confiteretur, hìc adeò diſtinctè omnia delicta ei reducebat in mentem, quaſi ſe præſente & vidente cuncta patraſſet. Tandem cùm pœnitens nihil vlteriùs latere putaret, addidit prudens Confeſſarius vnum adhuc eſſe cordis vulnus ignotum; illo verò econtrà aſſerente, iterùm adiecit: *Nunquid recordaris huiuſmodi puellæ, quam in perpetuæ iacturæ diſcrimen adducis?* Sic igitur confeſſione completa, impoſterùm à peſſima mulieris conuerſatione abſtinuit. Memor autem integri vaticinij nocte illa è domo egredi non eſt auſus, & rectè quidem: nam poſteà quidam alius, qui eandem meretricem affectu intenſiſſimo deperibat, ipſi ingenuè dixit; quòd ſi præfata nocte ad domum

Mortẽ impendentem prędicit.

Peccatorem grauem cõuertit.

Peccata ſecreta confitenti ſuggerit.

domum mulieris acceſſiſset, procul dubio pugione confodiendus, in ipſis (quas idem ei parauerat) inſidijs perijſse. Hæc omnia homo ille ex peccatore iuſtus, & ideò accuſator ſui factus, ad Dei gloriam, necnon ad tanti Patris honorem iuridicè declarauit.

Odia ſecreta detegit & deſtruit.

Cùm Gregorius Lopez ſecretum odium erga quendam in corde foueret, à Viro Dei in confeſſione audiri popoſcit. Cui ille: *Eſto, ſed priùs vade reconciliari proximo tuo, quem iniurijs affeciſti.* Obſtupefactus homo paruit, ac venia ab eo (quem læſerat) impetrata, ad ſalutarem pœnitentiam cũ ſumma animi ſui conſolatione receptus eſt. Cùm etiam mulier quædam Maria de Valera aliquandò ſe Serui Dei precibus commendaret, reſpondit illi Vir Sanctus: *Depone odium ex corde, & inimicitiam (qua Deum offendis) extingue, ac tunc pro certo habeas, quòd te Diuina miſericordia multis cumulabit beneficijs.* His verbis compuncta mulier ſecretam, quam paternæ hæreditatis occaſione in fratrem ſuum germanum conceperat auerſionem, in amorem & pacem conuertit; ac poſtmodùm plurimis à Deo gratijs iuxta Prophetæ verbum donata eſt.

Arcana viri manifeſtat.

Solebat Venerabilis Pater tàm crebrò, ac diſtinctè cuiuſdam Viri grauis occulta cordis arcana manifeſtare; vt ille non ſemel ab eius colloquio & occurſu fugeret, nè latentes conſcientiæ reatus ſibi declararet. Inter alia autem quadam die cùm tentationis violentia ſuperatus, impuram mulierem con-

conueniret, occurrit eunti Franciſcus, & acribus verbis (quam patraturus erat) turpitudinem exprobrauit, quidquid animo voluebat aperuit; nomen meretricis indicauit, de periculoſa eiuſdem infirmitate admonuit, & (quod optimum eſt) hominem à præcipitio peccati auerſum ad contritionem, & culpæ horrorem adduxit.

Propoſitum ſecretum agnoſcit.

Maria Magdalena à Salinis ſecretum, quod de habitu Sanctæ Claræ induendo propoſitum duobus tantùm confidentèr manifeſtauerat;ad Conuentum S.Franciſci pro confeſſione accedens, à Viro Dei Franciſco penetratum obſtupuit. Hic enim in confeſſionarium miſsus, ſtatim alacri vultu eam præuenit: *Fauſtè*, inquiens, *veneris ſponſa Chriſti, gauiſi ſunt Angeli de propoſito tuo, eſto patiens & conſtans; quoniam multæ exurgent Parentum in profeſſione contradictiones, ſed deficient omnes, & benè tibi cuncta ſuccedent*. Detectum cordis arcanum virgo admirans cùm poſteà Monaſterium ingreſsa, quas Vir Dei prædixerat procellas, & fœlicem earum exitum vidit, ipſum prophetica illuſtrari notitia non dubitauit.

Frater Ildephonſus Laicus dum Viro Dei in vltima eius ægritudine miniſtraret, ipſius vultum aridum & macilentum aliquandò intuitus, eiuſq;eminentem recogitans ſanctitatem, ſecum agitare cœpit: verè hic eſt imago perfectiſſima S. P. N. Franciſci. Tunc Vir humilis, & illuſtratus, ſpiritu in-

Cogitationē

ſecretã Fratris agnoſcit.

terno ſecretum Fratris edoctus, ait: *Roga Deum Frater; vt à te hanc cagitationem omninò auertat.*

Eodem ſpiritu animas multorum à peccato auertit, & meritorum efficacia corpora ſanat. Cap. XI.

Peccata, & loca eorum manifeſtat homini.

AMbulanti per Conuentus Limenſis clauſtrum Petro de Andaſalazar obuium ſe præbuit Religioſus quidam incognitus, qui ait: *Scias Domine, quòd Deus ſuis tecum vſus eſt miſericordijs, cùm te tamdiù ad pœnitentiam expectauerit. Recordare culparum, quas in Gallia, Caſtella, Luſitania & alibi perpetraſti.* Obſtupuit homo ad hæc verba, & ad diſtinctam locorum (in quibus fuerat) deſignationem, quis tamen ea fuiſſet locutus, ignorabat; donec ſparſo rumore de Sancti cuiuſdam Viri tranſitu, ad videndum eum perrexit; quem vt intuitus fuit, inquit: *Iſte eſt, qui mihi conſcientiæ ſtatum reuelauit*; nomenquè ſciſcitatus, Patrem Solanum vocari accepit.

Singularis certaminis propoſitum detegit & impedit.

Eodem ſpiritus lumine properantem ad ſingulare certamen Joannem Deniam Bolañum proſpiciens, ad pacem cum aduerſario reduxit. Sic & Ioannem Luzerum de Sauedra fortè in Eccleſiam Conuentus Limani ingreſſum Vir Dei, ex improuiso comparens, ad concordiam cum quodam milite (contra quem pugnaturus ibat) ineundam, & ad

depo-

deponendum vltionis appetitum diſtinctis, ac feruidis verbis eſt adhortatus.

Occaſione iniuriæ cuiuſdam commotus Franciſcus Ildephonſus de Carauajal, alteri vitam eripere decreuit: Cùmque propterea opportunitatem quęreret, fortè Conuentum S.Franciſci ingredi debuit. Cui ſtatim Franciſcus verbo planè & ore ignotus occurrit, ac voce benigna rogauit; vt ſibi eleemoſynam largiri dignaretur: Et interroganti, quid peteret? reſpondit illi Dei Seruus: *Vt peruerſam (quam fromauerat cogitationem) omninò repelleret, facturus indè Deo gratum obſequium, & ipſi largum beneficium; ac ſe etiam ſcuto patientiæ, quo præſertim indigebat, armaret.* Audita tamen lucida ſecreti ſui declaratione, homo ſe Patris orationibus commendauit, & domum confuſus reuertens illum quanquàm ſibi incognitum, Virum Sanctum & Deo charum eſſe præſumpſit; cuius verbo cor latens apertum, correctione prompta, ſanatum, & in meliùs ſenſerat immutatum.

Inimici mortem machinantis conſilium videt, & auertit.

Erat tandem Viri Dei obtutus in perſcrutandis cordium arcanis ità perſpicuus, vt multi ſecretorum ſuorum reuelationem timentes, aut aliquandò ipſius occurſum declinarēt, aut in principio ſermonis occultas cogitationes vltrò patefacerent. Quam quidem Diuinæ largitatis gratiam quantùm in proximi bonum inſumpſerit, relata iam argumenta probarunt.

Conſciētiarum notitia ipſi familiaris.

Corporum bonum operatur.

Animas Limani Populi prædicationis verbo, & prophetiæ lumine curabat Vir Sanctus; corpora verò orationis & meritorum efficacia à mortis faucibus, & periculis eripiebat. Doctor enim Ioannes Velaſquez Eccleſiæ Limanæ Archidiaconus graui oppreſſus ægritudine, ad Virum Dei Franciſcum vocari iuſſit; quo (manibus capiti ipſius impoſitis) Euangelium recitante, illicò dolorem mitigari & minui ſenſit, ac perfectæ ſanitatis ſpem certam concepit, quam & abſque vllo alio remedio eſt aſſecutus.

Sanitatem ægro obtinet.

Chorda Viri Dei ſalutaris.

Anginæ dolore laborans, & in vitæ diſcrimen deducta Domina Mayor ab Alarcon, P. Didacum à Pineda Guardianum rogauit; vt ſibi aliquem Sancti Patris Solani adhuc viuentis chordam mitteret: quà quidem accepta, hora veſpertina quarta ſe præcinxit. Die verò ſequenti vlcus peſtilens, fœtidam & maleolentem ſaniem per ipſum os infirmantis emiſit, admirante Medico, & caſum repentinum miraculo adſcibente.

Oratione ſua hominē, à mortis faucibus eripuit.

Cùm Michael à Belilla Bibliopola læthalis febris violentia ad vltimum vitæ terminum perueniſſe videretur, ſuſceptis (ex Medicorum de ſalute eius deſperantium conſilio) Sacramentis, vocantur Religioſi, qui ipſum in agone poſitum adiuuarent. Mittitur P. Franciſcus Solanus, qui cum alio Societatis Ieſu Patre preces animæ tranſmigrantis commendatitias de more recitauit: Interim aduenit

nit Medicus nomine Raymundus, cùm hora eſſet poſt meridiem ſeptima, ægrotum certiſſimè iuxta regulas artis intra quatuor horas; ideſt circa mediam noctem, moriturum affirmauit. At verò Seruus Dei Franciſcus ad infirmum accedens, & prolato ſuper eum Euangelio, ad ſocium conuerſus, ait: *Redeamus ad Conuentum, plùs enim ibi, quàm hìc agemus*. Expectatur itaq; tranſitus moribundi, cùm ecce ea, qua Medicus animam exituram prædixerat hora, repentè infirmus ab omni ægritudine liber, cunctis mirantibus ſanus apparuit, & intra duos aut tres dies è domo egreſſus ad ſuam rediјt officinam. Cùm ibi præfatus Medicus eum vidiſſet obſtupefactus, & putans phantaſma videre, ſe Cruce ſignauit; ille autem repentinam ſanitatem, meritis & orationibus Sācti Patris Solani adſcribere haud quaquàm dubitauit.

Didacus de Aſtorga copioſum ab ore ſanguinē per triduum emiſerat, & tria vaſa non parua illo humore repleuerat. Cùm verò à Viro Dei Franciſco Confeſſario ſuo aquæ puræ & nitidæ poculum ſibi porrectum hauſiſſet, illicò ſanguinem firmatū, & ægritudinem omninò abſceſſiſſe ſenſit. Multa alia à Venerabili Seruo Dei accepta beneficia referuntur, quibus totam illam Ciuitatem perpetuæ gratitudinis vinculo ſibi deuinxit.

Aquę poculo hominem ſanat.

De virtutibus Viri Dei Franciſci, & primò de Theologicis Fide, Spe, & Charitate.
Cap. XII.

QVaſi riuus à fonte, lumen à Sole, effectus à cauſa; ſic externi hominum actus ab interno prodeunt principio, & quaſi fructus arboris quales ſunt interiores affectus, tales prodeunt extrinſecæ operationes: Hinc eſt, quòd perfectionis Magiſter Chriſtus ex fructibus eorum docet homines cognoſcendos. Cùm ergò ex præcedentibus mirabiles apparuerint Franciſci noſtri Solani operationis externæ prouentus, non incongruum eſt eas, quibus coram Deo & apud homines ſe commendabilem reddebat, virtutes enumerare.

Fides Viri Dei magna.

Fides, ſine qua placere Deo nemo poteſt, & in cuius ſoliditate tanquàm in baſi totius ſpiritualis ædificij fundamentum ſubſiſtit, adeò Virum Dei Franciſcum inuaſerat; vt veritatibus Catholicis firmum, & indubitatum in omnibus præberet aſſenſum. Erat in eo non ſpeculatiua ſolùm illa & otioſa Fides languens, & quaſi mortua; ſed viua, practica, & operatiua, qua quiſquis exercet operando quod credit: Hinc ortum eſt ſeminandi Euangelij ac propagandæ Fidei deſiderium, quo ſe ad Barbaricas Africæ terras mitti à Superioribus petijt; cùmquè optatum hac in parte finem aſſequi non poſſet,

Deo

Deo aliter diſponente ad Peruana Regna pertranſijt, & deſertas illas & incultas regiones in fame, ſiti, frigore, ac nuditate peragrauit, & palmam martyrij tantò auidiùs aſſequi concupiuit, quantò ab auaro diuiciæ, & ſenſuali corde voluptates optantur.

Myſteria Sacratiſſimæ Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, aliaquè ſuprema Fidei noſtræ capita quàm firmitèr crediderit; tot affectus, ſuſpiria, extaſes, & cordis deliquia, quę in eorum ſimplici lectione, vel auditione patiebatur, apertè teſtantur. Myſteria firmiter credit.

Erat prætereà in Viro Dei Fides illa gratis data, quæ de liberali manu Dei procedens hominem in aduerſis & periculis tutum, in proximi neceſſitatibus Thaumaturgum reddit. Hinc eſt, quòd in tot anguſtijs, peregrinationibus, naufragijs sẽper quietus imperturbatus apparens, Diuinam adeſſe periclitantibus opem, nec in ærumnis deſperandum alios commonebat. Fides gratis data Franciſci Solani.

Spes autem Theologica in Dei Seruo peculiarem ſibi elegerat manſionem, per hanc enim inclinauit cor ſuum ad faciendas iuſtificationes Dei in ęternũ, per hanc omnis affectus temporalis nexu ſoluto, totus ad cœleſtem aſpirabat fœlicitatem ex benigniſſima Dei promiſſione reddendam. Cupiebat namquè diſsolui, & ad patriam illam peruenire, in qua Spei noſtræ obiectum clara viſione proſpectum in perennem traditur fruitioné: oriebantur ex illa Spe Spes Viri Dei ſumma.

tan-

tanquàm ex fonte, rerum humanarum contemptus, cœleſtium amor, Paradiſi ardens deſiderium, ac gloriæ tàm efficax appetitus; vt ad ſolum illius nomen, totus in iubila & extaſes ſolueretur.

Charitas, eius effectus in Frãciſco Solano.

Charitas virtutum forma Virum Dei Frãciſcum adeò ſui iuris effecerat; vt velut ferrum ignitum eius incendio totaliter fuerit penetratus: ex illius namquè fornace crebra illa & anxia trahebat ſuſpiria, quibus ſe totum in ſummi boni dilectione liquefactum oſtendebat; recogitabat frequenter Diuinas illas Beatorum manſiones, & in earum aſſecutione totus accenſus ſuum prolongari incolatum dolebat. Indè etiam oriebatur tantus cœleſtium amor, vt cùm aliquandò à quodam ægroto ſtatum valetudinis eius quæſiuiſset, reſpondente illo; gloria Deo, quia meliùs habeo: vt audiuit hanc Diuinę gloriæ vocem, inuiſibili amoris ſagitta percuſsus duos ibidem repertos baculos apprehendit, ac vno alterum percutiendo ſuauẽ de Chriſto, & eius amore edidit cantilenam; ſicquè totus extra ſe raptus, & in Deum ſuſpenſus è loco illo feſtinanter exiuit, ſanè vt liberiorem interno raptui aditum daret.

Amoris ęſtus.

Eum aliquandò infirmantem quidam Religioſus inuiſit, ac de Cœli gloria, & Paradiſi fœlicitate eſt allocutus; ad cuius verba adeò in Viro Dei flamma amoris exarſit, ac tantùm beatæ fruitionis deſiderium accreuit, vt totus exhilaratus raptum ſit mirabilem paſsus, vt manibus extenſis & eleuatis, ore

aperto,

aperto, oculis in Cœlum defixis, auribus ad voces Religioſi omninò ſurdis, totum in cœleſtis dulcedinis oceanum ſe conteſtaretur immerſum.

Quodam Sanctiſſimæ Trinitatis feſto, pauciſq; diebus antequàm mortis debitum ſolueret, cùm in valetudinarij Oratorio Sacro-ſanctum Euchariſtiæ cibum ſumpſiſſet, ac dum tremendo Sacrificio adeſſet, auditis his verbis ex Miſſa; *Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu*: quanquàm debilis & infirmitate conſumptus, tamen in Clauſtrum exiuit ac feſtino paſſu, quaſi volatu progrediens exclamabat; *Benedicamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*, hocquè repetens non ſine magna audientium admiratione Monaſterium circuiuit. Exceſſus.

Aliàs etiam ex cellula egreſſus hæc verba affectuosè proferebat: *Seruemus fidem & legem Ieſu Chriſti*; ac brachijs in modum crucis extenſis, oculis in altum erectis & in lachrymis ſolutis terribili voce repetebat: *Patres, ſeruemus legem Dei, & Regulam, quam profeſſi ſumus; faxit Deus, vt ego nunquam ſacra ipſius præcepta infringam*.

Quoties autem de Deo, aut eius amore coram Viro Dei ſermo inſtituebatur, prorumpebat in lætitiam cordis; & vt ignem ſacræ dilectionis euentilaret ab alijs ſecedens, ſolus in angulum coram Cruce, aut deuota imagine quaſi hoſtia flammis cœleſtibus comburenda properabat. Illo etiam Charitatis igne accenſus ſæpè procedebat in publicum, & Ad amoris Dei nomen inflãmatur.

occurrentibus turbis Dei commendabat amorem; ò quàm ſuauis eſt Deus, quàm amabilis, quanta dignus dilectione, conteſtans. Et ſi quandò Religioſum aliquem peculiaris in Deum amoris dono conſpicuum, & honoris Diuini promouendi auidum agnoſcebat, illum audiens ſic aiebat: *Videamus, quis de duobus Sponſum animarum noſtrarum Chriſtum Ieſum feruentiùs diligat, & in ſignum maioris dilectionis hebdomada iſta contendamus, qui plura iſti præſtabit obſequia, & gloriam ipſius Sanctiſſimæ Matris diligentiùs procurabit.*

Digna amoris æmulatio

Ex ipſis etiam ſenſibilibus rebus, vndè ſe ad Diuinum excitaret amorem, vrgentes & efficaces deducebat rationes contuens in operibus creatis Factorem ipſum, & ex creaturarum inanimatarum effectibus, animæ ſuæ motus regulabat. Vndè cùm ollam ſuccenſam & ebullientem quadam die vidiſſet, ab aſtante Religioſo cauſam ebullitionis ſciſcitatus eſt, eoquè illam igni materiali (vt par eſt) adſcribente, erectis in altum oculis adiecit Vir Sãctus: *Heu quid prohibet, quominùs & nos igne Charitatis ardeamus, & anima noſtra quaſi olla ſuccenſa flammis ebulliat?* Et his dictis ſentiens impetum, quem optabat, in longam extaſim ſuſpenſus hæſit.

A ſenſibilibus ad Deũ aſcendit.

Illius etiam intenſiſſimæ Charitatis effectus ſunt ea, quæ pro Deo paſſus eſt incommoda, quæ ſuſcepit pericula, quæ concupiuit martyria, quæ prædicauit, quæ egit, quæ pertulit, eius & efficaciſſima

Charitatis effectus.

indi-

indicia ſunt; oratio continua, altiſſima contemplatio, ac reliquæ tandem virtutes, quibus eius animam fuiſſe decoratam, quæ ſequuntur capita demonſtrabunt.

De Deuotione Viri Dei Franciſci ad ſacra Chriſti Myſteria, & ad Sanctiſſimam Euchariſtiam. Cap.XIII.

PRæter eximiam erga Sacratiſſimæ Trinitatis myſterium deuotionem, quam laudibus, obſequijs & canticis teſtabatur; iuerat præterea Viro Dei Franciſco ardens quædam & tenera ad ſacram Chriſti Natiuitatem propēſio, & beatiſſimam illam noctem, in qua Verbum carne indutum humanas aſſumpſit miſerias, ſpeciali cultu & religione celebrabat: hanc quippè ineffabilem æterni Filij dignationem mente reuoluens, totus in iubila ſoluebatur, & aptas tantę ſolemnitati cantiones voce & exiguę lyræ ſonitu decantabat. Dùm in Prouincia Tucumani ſemen euangelicum ſpargeret, aliquandò totam illam ſanctiſſimam noctem orans, lachrymans, & Deum collaudans traduxit: Aliàs recurrente eadem nocte, gaudio impar per Conuentum Recollectionis Limenſem charitate ebrius, & amore ſaucius diſcurrit, ac campanulam mouendo canens atquè pſallens, Fratres omnes ad admirationem ac deuotionem prouocauit.

Trinitati, Natiuitati Chriſti deuotiſſimus.

Infantiæ Chriſti. Sacram autem Chriſti infantiam tàm pio & tenero recolebat affectu; vt eam nec cogitare, nec voce proferre, aut in imagine contemplari abſquè cordis & corporis immutatione valeret. Infantem ſibi Saluatorem ante oculos mentis obijciens, ei paſtorum ſimplicem, puramquè reuerentiam, & ſolemnem Magorum exhibebat adorationem; nec à ſe ſolo laudari & benedici contentus, Socium ad eadẽ iubilationis, cantus & amoris officia ſecum alternatim rependenda inuitabat.

Paſſioni. Pretioſiſſimam Chriſti paſſionem & Crucẽ quantùm Vir Dei dilexerit, effectus non pauci teſtantur: Hanc enim continua meditatione tractabat, in prædicationibus extollebat, ad eam imitandam & ferendam Populos hortabatur. Crucifixum quaſi inſeparabilem ſuæ defenſionis murum, quocunquè pergeret, ſemper geſtabat. Vno verbo Ieſu Chriſti mortificationem ac tormenta iugiter tulit in corpore ſuo, & aliorum mentibus ea imprimenda indefeſſè curauit. Cùmquè in Miſſa Paſſionis hiſtoriam quadam vice legeret, obſeruatus eſt à Religioſo miniſtro in amaros & copioſos lachrymarum riuos reſolui.

Euchariſtię. Ad memoriale Paſſionis, ſeu auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum toto viſcerum ardore ferebatur; in eo ſuæ fortitudinis arcem collocarat, in eius contemplatione totam ſuę conuerſationis dulcedinem, & præſentis vitæ conſolationem poſuerat.

rat. Sacerdos factus ſe ad tanti Sacrificij celebrationem vigilijs, abſtinentijs, flagellis & orationibus diſponebat. Miſſam dùm celebraret, affectu mentis ſuauiſſimo recluſa in eius ceremonijs & ritu myſteria ruminabat, ac tanta videbatur celebrantis deuotio; vt & multos audientes attraheret, & plures certatim miniſtros ad ſibi ſeruiendum induceret: ipſemet Excellentiſſimus Peruani Regni Prorex Ludouicus de Velaſco Marchio Salinarum frequentèr ad Conuentum Recollectionis accedens, è priuato tanti Sacerdotis Sacrificio, cui deuotè miniſtrabat, magnam percipiebat ſuauitatem. Sępè ad Altare progreſſus, ac ſe veſtimentis illis miſticis, quibus mortalis & miſer homo, Verbi incarnati Sacerdotis ſimul & hoſtiæ repræſentat figuram, ſeſe indutum attendens in illius ineffabilis dignationis conſideratione deficiebat, ac in laudes Chriſti & Beatiſſimę Virginis (quæ tantum edidit cibum) prorumpebat.

Miſſam deuotiſſimè celebrabat.

Prorèx Peruanus eius Miſſæ inſeruit.

Aliquandò viſus eſt, dùm Sacrificium perageret, in extaſim rapi, & in aera ſurſum attolli; aliàs dùm ad Altare S. Antonio dicatum Miſſam celebraturus accederet, apparuit coram eò lux quædam cœleſtis Solis claritati non inferior, quà velut manuductus dicere poterat cum Pſalmiſta Pſal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.*

In Miſſa in extaſim rapitur.

Ad Altare luce cœleſti ducitur.

Solebat expleto Sacrificij tremendi myſterio, ac ſacris veſtimentis exutus, exhibitaquè gratiarum actione illicò ſe in cellam recipere, & clauſo oſtio

Actio gratiarum poſt Sacrificium.

de

de Regis cœleſtis præſentia exhilaratus, munera tanto hoſpite digna laudis & reuerentiæ promebat, ibi fruebatur dilecto, & in illius ſuauiſſima conuerſatione præuias Paradiſi deguſtabat delicias. Dùm aliquandò ſic ſolus & in cellula recluſus dulcia cum Chriſto miſceret colloquia, ad oſtiolum quidam Frater pulſauit; ſed abſtracta à ſenſibus Viri Dei mens duplicatos non audiuit impulſus, tunc alter obedientiæ vim experiri volens, à Superiore vocatum alta voce ſignificauit. Ad hunc repentè ſonum Franciſcus è ſomno ſpirituali expergefactus ianuam aperiens, accenſo & inflammato vultu, genis & ipſomet caputio lachrymarum imbre madefactis ſe vocanti videndum exhibuit; agnito vero Superioris mandato, illicò ad eius, qui factus eſt obediens vſq; ad mortem, imitationem vt obedientiam impleret, alacri facie ad cellam Prælati perrexit.

Extaſis poſt Miſſam.

Aliàs dùm ſic poſt Sacrificium viuificum in cella ſolus oraret, repetitis à quodam Fratre ad cellulæ ianuam ictibus excitatus Vir Dei pulſanti aperuit, & voce benigna ait: *Deus tibi parcat*. Viſus eſt autem tàm ſplendentes luminis radios ex vultu emittere, vt eiuſdem Fratris, & alterius præſentis oculorum aciem perſtrinxerit, ac mentes ipſorum tanta reuerentia & admiratione repleuit; vt ſe grauis delicti reum, qui ſic importunè pulſando eum à tàm ineffabili colloquio auerterat, exiſtimaret. Quot autem in priuatis illis cum Diuino amore congreſ-

Splendor vultus poſt Miſſam.

ſibus

ſibus gratias, illuſtrationes, & beneficia amicus Chriſti Franciſcus perceperit,nemini (quia verè humilis) manifeſtauit.

Erat ille in Euchariſtiæ venerabile Sacramentum Serui Dei affectus & amor quaſi proles legitima veræ & ſincerę Fidei, qua Chriſtum ſub ſpeciebus panis & vini latitantem ità præſentem, ità venerandum, amore dignum & adoratione reputabat; quaſi eum in medio Angelorum Senatu regnantem, & in Empireo ad dexteram Patris ſedentem vidiſſet: vndè cùm Diuinæ illius præſentiæ aſſiſteret, gaudio inexcogitabili & admiratione replebatur, ac totus in ſupremi ac tanti myſterij ſeria contemplatione abſorptus,in ſuaui lyræ ſono dulces edebat concentus. Cùm officio Cuſtodis in Prouincia Tucumani fungeretur, recurrente Corporis Chriſti feſtiuitate, ſolito eiuſdem in publica fideliũ proceſſione tryumpho adfuit; cùm autem fidei oculo Regem gloriæ præſentem conſpiceret, ſubitò voce elata dulces cãtus effudit tanta amoris violentia, vt in medios Indorum cœtus Dauidem coram arca canentem & ſaltantem imitaretur: Quo ſpectaculo cõmoti omnes, lachrymis præ teneritudine obortis deuotionem auxerunt venerationi.

Fides erga Euchariſtiã.

Corã Chriſti corpore canit & pſallit.

Profundè quidem ac deuotè de omnibus Chriſtianæ religionis myſterijs loquebatur, ſed præſertim de ſacratiſſima Euchariſtia tàm alta, tàm ſapida & profunda eructabat; vt gratiæ Diuinæ theſauros

De Euchariſtia mira dicit.

in ſe reconditos,& ſecreta cœleſtia ſibi tradita fuiſſe manifeſtaret. Ex illa viuifici Sacramenti deuotione, oriebatur inſeparabilis à deuoto & fideli corde vera, & humilis ad ſacros miniſtros & Sacerdotes; ſed præcipuè ad ſummum & maximum Sacerdotem & Pontificem Chriſti Vicarium, ac Petri Succeſſorem reuerentia & affectus. Dolebat inſuper tantum myſterium indignè tractari, & de Chriſtianorum, dùm Miſſæ tremendis aſſiſtunt ſacrificijs, indeuota compoſitione, ac prophanis coram Altaribus & in Eccleſia colloquijs; quibus perſæpè magis fidelium templa, quàm Gentium delubra inhonorantur, grauem concipiebat mœrorem.

Reuerentia in ſummum Pontificem, & Sacerdotes.

De Serui Dei ad Beatam Virginem Mariam, & ad Seraphicum Doctorem deuotione. Cap. XIV.

PRædeſtinatorum & Sanctorum ſpecialis propenſio eſt deuotio Mariæ, hanc verè prædeſtinatus & Sanctus Vir Dei Solanus toto mentis proſequebatur ardore, ad huius obſequium intentiſſima cordis reuerentia ferebatur. Illam ſibi peculiarem Aduocatam & Dominam elegerat, cuius gloriam, honorem, & cultum in ſe & in alijs promouere ſatagebat; ſæpè reuoluens animo quàm animantibus fuerit à Deo dotata priuilegijs, ac infinitos ferè magnitudinis & perfectionis gradus, quibus reliquas ſuperat creaturas attendens, aiebat:

Deuotio ad B. Virginé magna.

Gratulor tibi, ò Sanctiſſima Virgo ſimul & Mater, & gaudeo quòd te tàm pulchram, tàm Sanctam, & puram Diuina manus effecerit. Alijs etiam ignitæ linguæ præconijs dilectæ cordis ſui Patronæ laudes promebat, ac in deuotiſſimo cantu ad extaſim vſquè & raptum ipſius merita perſonabat: Huius autem ſingularis affectus, quem à teneris annis ad mortem vſquè ſemper augẽdo perduxit, quædam ſuppetunt non incongruè referenda exempla.

Laudes B. Virginis canit.

Cùm in Conuentu Ciuitatis Truxilli moraretur, Eccleſiam oraturus adibat, & aliquandò Patri Hieronymo Ildephonſo à Turre ſibi occurrenti dixit: *Vado ad muſicos modulandos accentus coram pulcherrima Virgine, quæ me expectat.* Ille autem, vt quid facturus eſſet Vir Dei certò ac ſecretò deprehenderet, in angulo latitare ſolitus ſępè ipſum coram Altari, & ſacra Virginis Mariæ imagine poſitum vidit, ac lyræ ſuæ chordulas pulſantem tanta ſuauitate repletum & gaudio; vt in ſaltus miros & commotiones prorumperet, ac tandem genibus flexis quietum, & in oratione perſeuerantem obſeruauit.

Pater Ioannes Annas Solanus Ordinis Prædicatorum in Prouincia Peruana Procurator generalis, Virum Dei Franciſcum in Conuentu Recollectionis Limarum aliquandò inuiſens, ipſi ſuadere tentauit; vt ad mentem à continuis laboribus & pœnitentijs vel leuiter recreandam, per breue aliquod ſpatium ad Ciuitatem exiret. Statim autem à Ser-

Mariæ collo quium tota Serui Dei conſolatio.

uo Dei reſponſum accepit: *Hoc in Monaſterio meæ ſunt recreationes & ſolatia, qoniam mihi datum eſt frequens inire colloquium ac ſuauem ducere conuerſationem cum Domina quadam, in qua leuamen pænarum, & cordis perfectam reperio lætitiam.* Mox amicum Prædicatorem manu apprehenſum ad Eccleſiã traxit, ac poſitis ab vtroquè coram Altari maiori genibus, Franciſcus detracto quo operiebatur velo, ſacram Angelorum Reginæ imaginem detexit, ſubiungens: *Iſta eſt Domina anim e meæ deprædatrix, cui communico, cui meas dirigo voces; & cum qua ſuaue commercium duco.* Ad hæc lachrymarum copiam effundens, ad piam imaginem tàm ſuaues, teneros ac affectuoſos dirigebat ſermones; vt aſſiſtentem ſibi Religioſum, admiratione mira repleuerit & deuotione.

Laudes Mariç canit, & virum grauem ad canendum inducit.

Viro Dei in eodem Recollectionis Conuentu morante, cùm in vigilia Aſſumptionis Religioſa Communitas gratias poſt prandium ante Sacramẽtum ſolutura veniſſet; ecce quòd ſubito amoris impetu, ac tantæ Virginis ad Cœlum exaltatione commotus, in mediam Altaris maioris capellã exiliens, oculis ad Cœlum erectis pſallere cœpit & canere, mox poſitis genibus in concinendis Mariæ laudum deuotis canticis, non ſine intuentium admiratione perſeuerauit. Aderat tunc P. Ioannes à Nauarreta, vir omnium virtutum genere illuſtris; ſed in primis tantæ pœnitentiæ, compunctionis, & ſanctæ triſti-

tiæ exercitio clarus, vt per multos annos nunquàm ridere, aut faciem hilarem ferre ſit viſus: ſed ſemper ità doloribus Chriſti patientis, intra ſe ruminandis attentus; vt ob copioſas compaſſionis, quas fundebat lachrymas, Ieremias nouus fuerit appellatus. Hic ergò cùm Recollectum Minoritam magìs decere planctum, quàm gaudium putaret; ſubitam illam Franciſci noſtri lætitiam non approbans, eum aliquo modo reprehendit: ſed, ò res mira! illicò Vir Dei Solanus exurgens, & in ſpiritus vehementis feruore ad Patrem præfatum Ioannem à Nauarreta accedens, eum ſic lachrymoſum & mœſtum paucis, ſed efficacibus verbis ad laudes Virginis celebrandas & concinendas ità prouocauit; vt intrinſecùs operantis Dei inuiſibili manu mutatus, ſtatim lætitia ſpirituali repletus ſit, & qui priùs mœrorem prętulerat iucunditati, in cantus iubilationis prorupérit, alternatiſquè vocibus certatim cum Seruo Mariæ Solano tryumphantis in Cœlo Reginæ gloriam decantauerit.

Erant Mariæ laudes Viro Dei laboranti requies, afflicto ſolatium, & laſſo refrigerium; in magnis enim & aſperis pro Deo ſuſceptis peregrinationibus fatigatus ex itinere, exhauſtus labore, fame conſumptus, ſiti aridus, calore exuſtus, frigore exanimatus, Mariæ nomen recogitabat, ac in ipſius ſuauiſſimis laudibus oblitus pœnarum, cœleſtem percipiebat dulcedinem. Hanc tandem erga pijſſimam

Mariæ laudes laborum Viri Dei lenimen.

Dei Genitricem teneram deuotionem & conſtantem fiduciam, quam in vita tenuerat, in agone poſito conſecrauit: nam cùm extremus adeſſet vitæ terminus, ſacrum *Magnificat* canticum, & hymnos Virgini ab Eccleſia dicatos coram ſe recitari à Fratribus adſtantibus poſtulauit; quoniam ex eorum ſuauiſſimis verbis magnum doloris, & morbi lenimentum percipiebat.

Deuotio ſpecialis ad S. Bonauenturam.

Inter alios Aulæ cœleſtis glorioſos Ciues, Seraphicum Eccleſiæ Doctorem Bonauenturam ſpeciali deuotione colebat, quem ſibi potentem apud Chriſtum Aduocatum & interceſſorem elegerat. Solebat proindè, dùm in Conuentu Limenſi moraretur, in aulam ſeu ſcholam Theologiæ ſecretò ſecedere, ibiquè coram deuotiſſima eiuſdem Sancti Doctoris imagine longas orationum horas tranſigere, ſe flagellis ad côpioſam vſquè ſanguinis effuſionem cædere; ibi Apoſtolicum concipiebat, & fouebat ſpiritum, quo plenus in plateas Ciuitatis prædicaturus exibat, ibi Seraphicam dilectionem illam, dulcemq; & benignam, qua ſe cunctis amabilem reddebat, conuerſationem & longaminitatem à tanto ſibi impetrari & communicari Patrono merebatur. Ibi non ſemèl viſus eſt cœleſtibus quibuſdam miriſq; ſplendoribus circumquàq; diſcurrentibus illuſtrari; quàm grata verò ſibi forent deuoti ſui Franciſci obſequia S. Doctor oſtendit, dũ ipſum eadem ſui obitus die ex hac vita migrare, à Diuina conſecutus eſt bonitate,

De

De dono Orationis, & contemplationis Serui Dei Franciſci. Cap. XV.

ORationis & contemplationis donum Seruo ſuo Franciſco Deus tàm liberali profuſione conceſſit; ýt omnes ipſius gradus, effectus ac prærogatiuas, quantùm mortalis infirmitas patitur, attigiſſe comperiatur. Quoniam verò (Diuina tamen præueniente gratia) ad hanc ſublimitatem per aliquam cooperationem ſe homo diſponit, ideò quid in hoc exercitio egerit Franciſcus, quidué cooperando contulerit; deindè quid Patris cœleſtis benigna largitate ſit aſſecutus, eſt aperiendum.

Orationis gradus omnes attigit.

Animam, quę arcanę contemplationis mortem contingere, & ad ſupremum vnionis culmen peruenire cupit; creaturaș fugere, ſenſuum feneſtras claudere, ſibi interiùs vacare oportet. Præſentiæ Diuinæ familiarem habeat conſiderationem, horas mentali exercitio non paucas aſſignet; vno verbo carnem, Mundumquè deſpiciens ſe totam Spiritus Sãcti voluntati, motibuſquè ſubijciat. Hoc, præueniente & adiuuante Patre luminum, poteſt homo mortalis; hoc & Franciſcus noſter Solanus Diuino fretus adiutorio præmiſit: erat enim illius conuerſatio cœleſtis, & quantùmuis inter humanas ſollicitudines, adeò tamen familiarem ſibi orationis internæ conſuetudinem fecerat; vt ab ea nullo vel dierum,

Ad orationis ſublimitatem quomodò ſe homo diſponit.

rum, vel noctium interuallo ceſſare videretur. Interiorem ipſius animæ pacem, nulla cura, nulla moleſtia turbabat, & Seraphici Patris doctrinam edoctus animam in corpore, quaſi eremitam in cella quietam & ſolitariam tenebat. Ex illo ſacræ orationis amore effluebat quaſi riuus à fonte ſæculi fuga, & ſolitudinis deſiderium: non enim niſi obedientia iubente, vel charitate ſuadente prodibat in publicum, tuncquè nè amicam perturbaret contemplationem, ex occurrentium materialium ſpecierum intuitu, ad Diuinæ pulchritudinis conſurgebat effigiem, & per impreſſa creaturis veſtigia ad infinitam Creatoris pulchritudinem deueniebat. Solebat prętereà Vir Dei determinatas ſacris orationibus horas deſtinare; ſæpè namquè dùm in Conuentu S. Franciſci Limæ habitaret, viſus eſt hora noctis vndecima (illa nempè quæ mediam noctem præcedit) vſquè ad quartam matutinalem, ſanctæ contemplationis exercitium in Choro protrahere. Nulla vnquàm ipſum infirmitas, nulla occupatio, aut labor à perſoluendis orationum temporibus auocauit; ſæpè noctes integras inſomnis, dieſquè perpetuò ieiunus in ſuaui cœleſtium conſideratione tranſegit, & vt R.P. Aluarez de Paz tom. 2. lib. 5. cap. 13. de Viro Dei loquens ait: *Diligebat ſecretum, ac ſecum commorari, niſi gloria Dei aliud depoſceret, rebus omnibus præponebat; ibiquè aſſiduis precibus, & Diuinorum contemplationi vacans, non rarò extaſes & raptus patiebatur;*

Orationis perfectę diſpoſitiones omnes Vir Dei habuit.

batur;

batur: Hiſquè epulis aſſuetus ſæpè noctes inſomnes in ſuppedaneo ſummi Altaris apud Dominum in Euchariſtia abſconditum traducebat, & manu lyram paruulā pulſans, & ore pſalmos canens, ac corde cœleſtia delibans pernoctabat. Cùm ergo Vir Dei Franciſcus aquas in vitam æternam ſalientes (quæ ſitientibus in oratione conceduntur) animo tàm ardenti ſitiret, non mirum ſi Deus, qui non improperat, eas ipſi dederit affluenter, ac ipſum orationis perfectiſſimæ dono effecerit admirandum, vt ex ſequentibus patet. Orationis donũ Deus ei conceſſit.

In primis namquè continuam Serui ſui à rebus cœleſtibus attentionem, extaſibus illis frequentibus, quas animæ totaliter à terrenis auulſæ experiri ſolent, decorauit. Videbatur enim Vir Dei, dùm ſuperna contemplaretur, terreſtrem reliquiſſe manſionem, & corporeæ molis nexu diſſoluto animam ad ſydera tranſmiſiſſe. Vocantibus quippè tunc ſurdus, occurrentibus cæcus, interrogantibus mutus, & à ſenſibilium imaginibus obiectorum abſtractus contemplationis dulcedinem copioſè deguſtabat, & teneritudinis abundantia perfuſus liquefieri putabatur. Quadam die dùm columnæ clauſtri Limani innixus in Seraphici Patris noſtri Franciſci deuotam imaginem, Altari cuidam ibidem appenſam oculos defixos teneret, tranſiuit fortè pius & grauis Religioſus, qui dùm ſe à Viro Dei (iuxta ſolitum) vt qui olim Guardianus eius fuiſſet, reflecteret honore ſaluta- Extaſes.

luta-

lutationis non præueniri, ipſum propiùs accedens vocauit, brachium apprehendit ac ſtrinxit; ille tamen nec voci reſpondit, nec tactum ſenſit. Aliquandò verò dum ſic abſtractus colloquio intereſſet Diuino, nec tamen penitùs ſenſuum operatio vacaret, eidem vocanti pro reſponſo ferebat: *Glorificetur Deus*, *amemus Deum*; & hæc in feruore ſpiritus repetens veloci extra ſe raptu exibat.

Raptus. Eſt & aliud raptuum genus, quo non ſolùm animalibus ſpiritibus aditum, nè in ſenſus transfundãtur, feruens cœleſtium attentio præcludit; ſed & ipſa anima obiecti ſibi in ſumma amabilitate oſtenſi, deſiderio abſtracta, ipſum (cui annectitur) corpus ſecum adducit, & grauem carnalis ponderis molem ſuperans, ſpiritus ad Deum quaſi ignis per accenſos potentiarum motus aſcendens materialem in aera ſecum transfert compartẽ, hoc eſt liberaliſſimi Dei donum, quo Serui ſui Franciſci Solani præmiauit obſequia: ſæpè enim in aera eleuatus, ſpatia non parua miro volatu tranſcurrebat. Semel in vigilia ſolemnis Indulgentiæ Portiunculæ poſt exceptas plurium pœnitentium confeſſiones, cùm in infimo ex duodecim gradibus, quibus ad Altare maius Monaſterij Limani aſcenditur, coram Sanctiſſimo Sacramento oraturus genua poſuiſſet; repentè à Patre Claudio Ramirez de Soſa, eiuſdem Ordinis Religioſo, & Conuentus de Caxamalca Guardiano, viſus eſt in ſummo præfati Altaris culmine abſtractus

In aera eleuatur & fertur.

& in

& in extaſim raptus, moxquè eodem ſitu & genuflexus ad locum, vndè exierat, per aera reuertiſſe.

Dùm Limæ in Conuentu Recollectionis moraretur, aliquandò contemplationis impetu tractus, à Choro ſuperiori vſquè ad maius Altare per centum pedum diſtantiam in aere eleuatus peruenit, ibiquè ſeriæ orationi vacare repertus eſt; ſic & dum Truxilli inhabitaret Cœnobium, aliquotiès à ſolo ſemiulnæ menſura, ſpiritus feruore elatum apparuiſſe, fama Ciuitatis indubitata promulgauit.

Cùm ſemèl in Conuentus Limani Valetudinario Vir Dei multùm infirmus iaceret, Frater Ildephonſus Muñoz exemplaris vitæ Religioſus Commiſſarij Generalis Socius, ad eius cubiculum ipſum inuiſurus acceſſit; cùmquè eum coram ſacra Virginis imagine genuflexum orantem inueniſſet, ad Socij cellulam rediuit. Vix eam ingreſſus repentinum in Sancti Patris cella ſtrepitum quaſi è tormento bellico prodeuntem audiuit, ad quem ſubitò præfati Commiſſarij iuſſu cauſam exploraturus accurrens, extaticum Dei Seruum è cellula egredientem vltra ſemiulnam à terra eleuatum, & hinc indè Spiritu Sancto nè in parietes & in Clauſtri fornices impingeret ducente, volantem extenſis in Crucis figuram brachijs oculis ad Cœlum erectis aſpexit, ac voce magna pias Scripturæ ſententias proferentem audiuit; donec tandem Indo Tertiario fortè occurrenti amplexu tenaci adhærens, ab extaſi reuerſus tantam

Raptus mirabilis.

poſteà virium debilitatem ſenſit, vt à præfatis Ildephonſo & Tertiario inter manus languens, atquè deficiens fuerit in grabatum delatus.

Voces & clamores orantis.

Spiritualis lætitiæ fœtus in oratione concepti, ſancti ſcilicet animæ exultantis clamores & voces, aut ab admiratione, aut à dilectione depromptæ, quibus humana mens impreſſos ſibi à Deo pandit affectus, in noſtro Franciſco Solano maximè claruerunt. Hic enim dum contemplationis lumine illuſtratus aut Diuinam intuebatur perfectionem, aut ſuæ nihileitatis aſpiciebat miſeriam, exclamare audiebatur: *Quis es tu Deus meus, & quis ſum ego; tu totum, ego nihil*? Interdùm verò aiebat: *Mi Ieſus, miſericordia*. Aliquandò coram pretioſo Euchariſtiæ Sacramento brachia in Crucis figuram expandens, alta voce dicere auditus eſt: *Heu Domine, quis eſt qui te offendit; quis te Deus meus offendit*? Moxquè affixo in terram ore proſtratus aliud orationis genus incepit.

Lachrymæ.

Illis autem clamorum & vocum exceſſibus inſeparabiles erant riuuli lachrymarum, quarum à cœleſti Largitore donum vt compunctæ & efficacis orationis ſignum acceperat: hanc namq; fletuũ abundantium, ſeu ex cordis liquefactione, ſiuè ex dolore manantem, ſolet Deus Seruis ſuis in contemplatione exercitatis largiri; nec enim deceret vt radijs veritatis clareſcente intellectu voluntas frigeret, & durior ſaxis ſcindi ad lachrymas doloris & compun-

punctionis nollet. Lugebat proindè Franciſcus Solanus amoris teneritudine emollitus, ſed præſertim Dominicæ paſſionis recordatione compunctus; ità vt non rarò oculi eius præ fletuum vehementia tumeſcerent.

Quoniam autem contemplatiuos Deus & pœnis immiſſis, & voluntarijs eorum caſtigationibus exercet, eis ſæpè ſuauitatem, ad quam guſtandam Pſaltes inuitat, liberali manu concedit. Hanc profectò in oratione delibabat Franciſcus, vbi conſolationibus Diuinis abundans, totus in iubila ſoluebatur, quæ nè humanis oculis paterent in ſecretum fugiebat. Illa etiam cœleſtis fauoris dulcedo ab animæ plerùmque redundabat in corpus, quod ſplendore mirabili coruſcans, ex conſortio ſermonis Dei reuertebatur, & oculos intuentium (vt ſupra dùm de Charitate, & erga ſacram Euchariſtiam amore diximus) perſtringebat, ac aliquandò in Aula Theologiæ Conuentus Limani orans quibuſdam ſupernæ lucis radijs circumdatus apparebat, & interdũ multi vultum eius natura ſubnigrum, candidiori niuis colore dealbatum viderunt.

Illuſtrationes & conſolationes.

Huiuſmodi raptus, extaſes, lachrymæ, voces niſi humilitatis ſanctæ pariant affectum, dubia Spiritus Diuini inditia ſunt: hæc autem ſi adfuerit, cùm eam ſuperbiæ Pater nec parere poſſit, nec fouere, certiſſimum orationis è Cœlo edoctæ & diuinitùs inſpiratæ argumentum eſt. Quare Franciſcus noſter Solanus

Humilitas fœtus verę orationis.

lanus, quem vnctio Spiritus Sancti docebat, illum præ cæteris fructum ab oratione trahebat: ſępè enim adeò propriæ infirmitatis notitia plenus ab ea prodibat, ac tàm demiſſum de ſe ipſo iudicium hauriebat; vt ſe, qui terram calcaret, reputaret indignum, ac frequenter repeteret, magnæ ſibi eſſe admirationi, quod tàm grauem (qualis erat) peccatorem, terra toleraret.

Humiles ſerui Dei de ſe ipſo ſententiæ.

Alium etiam infallibilem veræ contemplationis effectum, in proximi bonum Vir Dei ab ea retraxit: hinc enim emanauit lux illa cœleſtis, qua futuros euentus & abdita cordium ſecreta penetrabat. Magnam tandem ipſius orationis efficaciam fuiſſe, totius vitæ hiſtoria, & quæ infra ſequentur, aperient; dùm quod humanis viribus ſibi, alijſquè comparare non poterat, precum ſuarum virtute terra mariq; obtinuit.

Prophetia fructus eius orationis.

Orationis eius efficacia

Cùm igitur Seruus Dei Franciſcus tàm ſancti exercitij in ſe vtilitatem experientia probaſſet, & ipſius omnimodam in perfectionis viam ambulantibus neceſſitatem agnoſceret, eam Fratribus ſuis enixè commendabat, ac proindè dùm eos otioſis aliquandò inter ſe confabulationibus videret intentos, temporis tàm rari deperditionem dolebat; & propterea etiam alijs præeſſe, nè tantæ iacturæ rationem Deo reddere teneretur, timebat. Dùm Conuentus Recollectionis Limanæ Guardianus eſſet, arbores ab horto eradicare cogitauit; nè Religioſi

Orationis ſtudium Fratribus ſuadet.

earum

earum culturæ nimis attenti, animæ curam oratione agendam negligerent: ac deniquè vlmos in Ciuitatis ambulationem iuxta præfatum Recollectionis Cœnobium plantari ægrè accepit; conuenientis illùc ad recreationem Populi ſtrepitu ac rumore, Religioſos in ſancta orationis quiete turbãdos præuidens. Ex illo tandem orationis fonte Vir Dei ſalubria hauſit in dirigendis animabus conſilia, efficacia in prædicationibus verba, & prudentia in prælationibus documenta atquè diſcreta præcepta.

Orationis Viri Dei fructus.

De Charitate erga proximum. Cap.XVI.

AMoris Dei fœtus eſt amor proximi, hoc etiã Vir Dei Franciſcus igne Charitatis exarſit, vt plura in ſuperioribus capitulis relata teſtantur. Hanc enim erga homines ardentem dilectionem in Hiſpania, in nauigatione, in Prouincijs Tucumani non paucis manifeſtauit indicijs, hanc & in Limanis partibus (vt ex ſequentibus patet) non dereliquit, ſed per noua quotidiè incrementa intendit. Omnibus proximi malis plus quàm proprijs tangebatur, prompta ijs quærebat remedia, omnibus efficaciter ſuccurrebat; ſpiritualia tamen aliorum damna quia grauiora mentem ipſius acri dolore pungebant, vndè orta eſt illa in prædicando, arguendo, & admonendo continua & indefeſſa ſollicitudo, quæ per totius vitæ curriculum in ipſo mirè illuxit.

Amor proximi magnus in Viro Dei.

Amoris illius effectus.

Pau-

Erga pauperes miſericors.

Pauperes affectu tenerrimo diligebat, humiliter & benignè cum ipſis agebat, eleemoſynas (quas comparare poterat) largiebatur, bonis & ſalutaribus conſilijs eos informans & dirigens à malo auertebat, mortem famemquè lethalem potiùs perferẽdam, quàm peccatum, Deiquè offenſam perpetrandam, docebat. Prætereà hanc dilectionem omnibus communem facere odia extinguendo, inimicitias tollendo, ad pacem & amorem Populos reuocando diligenter curabat, & afflictos aut oppreſſos paſſionum Chriſti exemplo ad laborum tolerantiam hortabatur.

Infirmos viſitat.

In ægrotantium cura mirabilis erat, domos enim hoſpitales viſitare, infirmorum lectos parare, vaſa mundare, alimenta quædam dulcia ſubminiſtrare, dolores officijs & exhortationibus lenire, confeſſionem peccatorum audire ſolitus, ardenti charitate cunctos complectebatur. Fratrum etiam ęgrotantium nunquàm intermiſit ſollicitudinem, quã quia ex Regulæ præcepto commẽdatam, orationis exercitio ſibi aliundè tàm charo præferebat. Itaquè pręter impenſiſſima miniſteria, quibus infirmis Fratribus ſubueniebat, illos etiam qua poterat conſolatione, recreabat & lyræ ac vocis ſuauiſſimo concentu laudes Diuinas, Matriſquè Virginis hymnos decantans, eorum corda mira dulcedine afficiebat.

Fratribus infirmis miniſtrat.

Recreat languentes.

Cùm P. Ioãnes de Arpeytia, qui Prouinciæ duodecim Apoſtolorum Miniſter fuit, Truxilli degeret,

ret, & nocte quadam importunis mœſtiſquè cogitationibus perturbaretur; ecce quòd hora noctis decima cellam eius ingreditur Vir Dei, cumquè præueniens quid moleſti pateretur, quæſiuit; ſibi quidquam accidiſſe neganti, ait: *Omnia tua manifeſta ſunt, ego verò cantare ſcio*; & hæc dicens lyram eduxit, quam pulſans corã Sacratiſſimæ Virginis imagine, laudes eius voce ſonora decantauit. Finita muſica in ſilentio rec ſſit, mœſtumq; Religioſum mira mentis lætitia perfuſum, mœrore in gaudium mutato reliquit.

Similiter Annam Manrique Tertij Ordinis in Peruano Regno primam Reparatricem, & Abbatiſſam febribus laborantem Dei Seruus inuiſit, hæc verò intra ſe dicebat; quid aliud cordis mei mœſtitiam aptiùs quàm Patris Solani pijſſimus cantus leniret, mentis tamen deſiderium pandere verebatur: Vir autem Dei Spiritu ſibi interiùs loquente deuotę mulieris cogitationem edoctus, illicò tàm ſuaues in honorem recenter nati Chriſti infantuli cantus emiſit; vt ægra mentis conſolatione repleta, exindè perfectàm corporis cœperit acquirerere ſanitatem.

Dirigendis in agone infirmis, & ad mortis tranſitum præparandis ſpecialem à Deo gratiam acceperat, ac proindè ad tantæ Charitatis officium non modò currere, ſed volare videbatur; & qui aliàs ſilentio deditiſſimus fuit, tunc quaſi imbres eloquia ſapientiæ mittebat, vno verbo tàm alacritèr miniſtrabat

ſtrabat ægrotis, vt nullum vnquàm impatientiæ verbum, vel triſtitiæ ſignum in eo fuerit deprehenſum.

Charitas, humilitas & mortificatio magna.

Cùm Truxilli degeret, viſus eſt nonnunquàm à quadam muliere Ordini deuota plenis annona manicis è Conuentu prodire; cui aliquandò quò totiès pergeret ſciſcitanti reſpondit, ſe cuiuſdam ſibi dilectæ domum adire. Quo reſponſo mulier ad curioſitatem ſtimulata ipſum extra Ciuitatem egreſſum, ad domum vetulæ cuiuſdam mulieris lecto detentæ horribili lepra infectæ, à proximis & cognatis ob tetrum putredinis odorem omninò derelictæ intraſſe, aduertit; vbi in ſpiritus Charitatis feruore, genibus in terram poſitis horrenda infirmæ vlcera oſculari, deindè ſtans ea curare, lauare, ac abſtergere viſus eſt: tandem commendata ipſi patientia, largitis (quæ tulerat) donis, ad Xenodochium indè tranſire; vbi lectos componebat, & quæ ſuprà retulimus miniſteria ſpiritualia, & corporalia ægrotantibus impendebat.

Ad animas Purgatorij affectus.

Circa nouiſſimos vitæ annos, in Conuentus à Ieſu Limenſis Valetudinario, cellam ſibi ob continuas ægritudines aſſignatam occupauit; ibi ſolebat quotidiè bis Fratres infirmos inuiſere, & viliora quæque officia ardenter & humiliter exercere. Hunc & Charitatis affectum ad ipſas quoquè Purgatorij animas extendebat, quarum pœnis tenerè compatiens, eas orationibus, pœnitentijs, ſuffragijſquè ex

illo

illo carceris ergaſtulo liberare, & cœleſti luci quàmcitiùs reddere ſatagebat; alioſquè ad eadem pietatis officia, frequentibus eloquijs inuitabat.

Fuit tandem Vir Dei tàm ſuaui, tàmquè benigna & dulci natura à ſupremo decoratus Artifice; vt neminem à ſe niſi lætitia & gaudio perfuſum, ac conſolatum recedere pateretur, & cuicunquè ipſum alloqui, aut peccata coram eo confeſſione promere contingebat, miram ſe experiri alacritatem, cordiſq; quietem profitebatur. Ipſa quoquè animalia, quam olim in Seraphico Parente innocentiam & benignitatem probauerant, in tàm digno ipſius filio repériebant; vndè non mirum ſi feroces tauros manſuefecerit, ſi locuſtas, ſi cignifes vocis imperio exterminauerit, vt ſuperiùs viſum eſt. Aues etiam, primitiuæ, quam Adam peccando amiſerat, veſtigia in eo innocentiæ præſentientes, familiares & domeſticas ſe illi præbebant: ſæpè enim viſus eſt & auditus, dùm in Truxilli Conuentu moraretur, inter auiculas conuerſari, eaſquè ad Creatoris laudes cãtu promendas hortari; illæ verò quaſi rationis compotes, capiti eius, humeris, brachijſquè velut arborum ramis inſidebant, cum ipſo Diuina cantica vocis naturalis concentu perſonabant, oblatam ſibi panis in fruſtula conſciſi annonam è manu eius familiari roſtro carpebant, harum duas caſu occiſas teſtium fidelium relatio à Viro Dei compaſſione permoto, vitæ reſtitutas affirmant. Infeſtantes Conuentus Li-

Benignitas eius ſumma.

Animalibus cognita.

Auiculæ ipſi familiares.

menſis Valetudinarium formicas, ità ſolius voluntatis imperio abegit; vt deinceps nullam infirmis moleſtiam, nec eorum alimentis intulerint damnũ. Eadem Viri Sancti benignitate allecti piſces, in ſupradicto euntium ab Hiſpania ad Indias naufragio, vltrò ſe capiendos in hominum cibum illi offerebant: cancros etiam ad eius vſquè gurguſtiolum ab aquis pergentes voce benigna excipiens, aiebat: *Venite cratura Dei, vt in eſcam fratrum veſtrorum maiorum ſitis.*

De obedientia, paupertate, & caſtitate. *Cap. XVII.*

Obedientia eius maxima

OBedientia Viri Dei Franciſci Solani ſpeculum eſt nitidiſſimum, in quo ſuarum quiſq; Religioſus contemplari poterit exemplar actionum. Nihil enim Minoritæ iſti magìs cordi fuit, quàm per ſemitas obedientiæ tutas & tritas curriculum ſuæ profeſſionis implere. Nemo auidiùs ad dignitates & honores, nullus ad ſæculi pompas velociùs feſtinat, quàm iſte ſubditi vitam & inferioris gradum ambiebat; oblata, immò & collata ſibi Religionis officia quotiès recuſauerit ac renunciauerit, vt amicam non deſereret obedientiam, exempla ſuperiùs relata teſtantur. Quotquot verò ipſum contigit Prælatis ſubeſſe, omnes vna voce illum Regularis Obſeruantiæ zelantiſſimum obſeruatorem proclamabant:

Obedientiæ amor & effectus.

bant: cùm enim cæcam huiuſmodi virtutem eſſe ſciret, eiuſquè perfectionem non ſolùm in abſoluta propriæ voluntatis abnegatione; ſed etiam in perfecta rationis cæcitate conſiſtere, omnibus Superiorum nutibus promptè & alacriter obtemperabat, nec corporis debilitate aut infirmitate detentus, ad implenda Prælati mandata currebat. Iuſſus à quodam Præpoſito, longam & difficilem aggreſſus eſt peregrinationem, licèt adeò infirmus & debilis corpore, ac ſuperueniente febre afflictus; vt ipſemet, qui iuſſerat, pœnitentia ductus, metuenſquè nè in via deficeret, perfectis nouem leucis vt ſiſteret, imperauerit; addens inſuper vt Conuentum aliquem ſibi gratum inhabitandum eligeret: ille verò nè voluntatis propriæ in aliquo ſequeretur impulſum; Prælatum rogauit; vt ſibi, quam incoleret domum, ſua prudentia deſtinaret. Sciens itaquè quantùm ex merito obedientiæ religioſis actionibus accederet pretium, opus quantumcunquè paruum abſquè illius interuentu aggredi nunquàm præſumebat; ſed in omnibus Superioris aut mandatum expectabat, aut licentiam petebat. Hanc tandem ſtatus Regularis eſſe propriam innatamquè virtutem, qua velut ſtructuræ fundamento mente, totum ſpirituale corruit ædificium, ſine qua nec Religio, nec fraternitas eſſet; Fratribus ſuis verbis, ac factis efficaciſſimis ſuadere conabatur.

Abſque obedientia nihil aggreditur.

Sine obediẽtia nulla eſt Religio.

Margaritam pretioſam Minoriticę Familię pau-

Paupertati dedictiſſimus. pertatem Vir Dei impensè coluit, & in eius obſeruatione ſe legitimum Seraphici Patris filium probauit. Tunica vilis & aſpera, lectus durus, cibus tenuis, ieiunia ferè continua, cella breuis & arcta, ſupellex exigua, quietis fuga, laboris amor, deliciarum & voluptatis odium, veram illam quam docuit Chriſtus, quam Seraphicus Pater in ſuis optauit paupertatem, in Franciſco Solano peculiarem ſibi thronum elegiſſe demonſtràrunt.

Paupertatis zelus in prælatione. Solet plerùmquè in Prælatis virtutis illius decor marceſſere, dùm ſibi ipſis rigidi, aut nimiam in ædificijs curioſitatem, aut in donis ſæcularium largitatem indiſcretè admittunt. At verò noſter Solanus, dùm Conuentui S. Mariæ Angelorum Recollectionis Limanæ præeſſet, ſuperflua quæquè aut curioſa reijciens, nec ſolo pauimenta ſterni, nec oſtiorum, ac feneſtrarum tubulas ſcalpello dolari permiſit; illis ſcilicèt ornamentis ſanctæ paupertatis pulchritudinem deturpari affirmans.

Pretioſa reſpuit. Paritèr oblatas à quodam deuoto ſæculari Conuentui Recollectionis duas Chriſti & Virginis imagines, dùm quingentis nummis appretiari ſciuit, euangelicæ paupertatis zelator eas recipere noluit, ac digna Franciſco Patre ſententia dixit pretium illarum Fratrum mendicorum conditionem excedere; magiſquè gratum acceptumquè Deo futurum, ſi in alicuius orphanæ, aut in plurium egenorum leuandam miſeriam conuerteretur.

Eiuſ-

Eiuſdem Euangelicæ paupertatis amore peculiaria ſibi oblata à ſæcularibus ipſius neceſſitati cópatientibus, rerum aliàs Minori licitarum munera reſpuebat. Nonnullis ante obitum menſibus, quoſdam (è quibus prædicationum materias hauriebat) viles, & parui pretij libros ad Guardianum detulit; vt eos iuxta diſcretionem ſuam in vſum aliorum transferret: at tandem in vltimo agonis conflictu, vt ſe verè pauperem exhiberet, habitum ad ſepulturam à Guardiano humiliter petijt, & in eleemoſynam impetrauit. Et peculiaria munera.

Caſtitatis illibatæ florem in Viro Dei Franciſco Angelicæ puritatis decorem imitatum fuiſſe eorum, qui cum eo viuente familiariter egerant, & Religioſorum, qui confitentis peccata exceperant, fide digna aſſertio confirmat. Huius quippè virtutis curam adeò cordis ſui medullis impreſſerat, vt omnia eius dicta & facta, aſpectus ac progreſſus, cóuerſatio & actio ſuauêm caſtitatis redolerent odorem; nemo modeſtior illo, nemo taciturnior, nullus oculis ac ſenſibus purior. Mulierum familiare colloquium omninò vitabat, nec vnquàm niſi obedientiæ, aut charitatis neceſſitate adſtrictus eas alloquebatur; tuncquè tantam viſus & linguæ præferebat compoſitionem, vt ex ea cordis innocentiam & puritatem apertè manifeſtaret. Caſtitas eius Angelica. Effectus. Mulierum colloquia fugit.

Dùm in Prouincia Tucumani Populos doctrinam doceret Chriſtianam, occaſiones peruerſas, &

gentis

gentis effrenatam ad malum libertatem aduertens, locum quendam & tractum paſſibus centum à cellula ſua diſtantem deſignauit, vltra quem, nè quacunquè omninò mulier Inda tranſiret, nec alibì, quã in Eccleſia pro confeſſione, aut re quapiam alia neceſſaria vlla ipſum alloqueretur, prohibuit; ſi quæ autem præſcriptos limites tranſgrederetur, eam à doctrinæ præpoſitis fiſcalibus puniri iubebat.

Caſtitatis ſeruãdæ media.

Ab externis verò ſenſuum oppugnationibus ità per modeſtiam, & fœminæ conuerſationis fugam munitus, domeſtici etiam inimici, carnis ſcilicet petulantiam aſperis pœnitentijs reprimebat, & per continuas corporis afflictationes ad optimum illud ſupremi Largitoris donum (Caſtitatem virginalem) conſequendum ſe diſponebat. Quod equidem aſſecutum, plura non ſolùm dùm viueret, inditia; ſed etiam corporis immutatio, candor, tractabilitas, odorquè ſuauis probàrunt. Inſuper & miraculo voluit Deus Serui ſui manifeſtare puritatem, quandò crus à Medico poſt mortem contactum ad ſe retraxit.

Poſt mortẽ inditia.

De Pœnitentia, Humilitate & Patientia S.P.Solani. Cap. XVIII.

Pœnitentia eius ſupra humanas vires.

QVisquis humani corporis debilitatem, & carnis corruptibilis infirmam complexionẽ inſpiciet, incredibiles quaſi Viri Dei Solani pœnitentias

tias reputabit; niſi Diuinæ manus potentiam in fragilitatis noſtræ victorijs eluceſcentem attendat. Seruus namquè Chriſti Franciſcus adeò durum membris ſuis bellum indixit, vt nullum vnquàm corpori leuamen ac requiem impendiſſe videatur; in mortificatione ſenſuum mirabilis, oculos modeſtia, linguam ſilentio, os abſtinentia domabat: nunquàm otioſa verba protuliſſe auditus eſt, nec vnquàm aures ad voces contumeliæ, murmuris ac dedecoris aperuiſſe. Erat in cibo adeò rarus, vt frequenter ad biduum triduumq; abſtinentiam protraheret; adeòquè temperatus, vt vix ſuſtentandæ naturæ neceſſaria alimenta comederet: vndè infirmitatibus continuis debilitatus, Medicorum & Prælatorum mandato ad carnis eſum adſtrictus, medio plerùmq; gallinæ iecore & modico iuſculi hauſtu contentus, vitam, affirmantibus Medicis, miraculosè protractam ducere putabatur. Addebat tot abſtinentijs rigidam exterioris hominis macerationem, ſub hiſpida namquè & aſpera veſte cilicium acuminibus horrendum ferebat ad carnem, quam & flagellis aſperrimis vſq; ad copioſam ſanguinis effuſionem interdùm repetitis per ſingulas noctes cruciabat; ità vt ille, cui ob ſanitatem nulla vnquàm Medicis viſa eſt ſanguinei humoris ſectione fundendi copia ſuppetere, eodem ità frequenter violentia flagellorum expreſſo, parietes tingeret & pauimenta.

Abſtinentia. Cilicia. Flagella.

Irreconciliabilis propriæ carnis inimicus, dùm

in

in nouiſſima ægritudine dolores acutiſſimos pateretur; ac omnium Fratrum in ſe commiſerationis affectum moueret; ipſe ſemper ſibi auſterus & immiſericors, iucundos ad Cœlum oculos eleuabat, ac voce alacri dicebat: *O me fœlicem, cui cùm flagellando corpori et traditori iſti vinciendo domandoq; vires deſint, ſe Diuina manus in mei vindictam armauit.*

De corporis doloribus gaudet.

Præter illas inflictæ ſibimet pœnitentiæ duras & aſſiduas mortificationes, incredibilia ſunt quæ, & quanta in tot peregrinationibus pro Dei gloria & proximi bono ſuſceptis Vir Apoſtolicus tolerauerit incommoda. Sciunt omnes Minoriticæ profeſſionis fideles Alumni, quàm grauia iuxta Euãgelicam normam ambulantes Prædicatores mala patiantur, & quàm arduo dignus ſit pręmio, qui ſine argento, ſine ſacculo, ſine humano ſubſidio, pedeſter & mendicus ad ſeminandum Euangelij verbum procedit: Per has exercitatus eſt vias verus Minorita Franciſcus Solanus, è Limana Ciuitate ad Tucumani Prouincias pergens per ardentes ſolaribus radijs oras, per inuios montes, per deſerta & horrida loca, per profundos ac rapidos fluuios; modò ſiti, modò fame, modò infirmitate, nunc perſecutione vexatus tranſiuit, ac tantùm ſexcentum leucarum decurſum ſicut in reditu pedeſter egiſſe certum eſt, ità & eundo percurriſse indubium eſse debet.

Labores eius.

Aliquandò etiam à Conuentu Recollectionis Limanæ ad locum, qui *Callao* dicitur, duabus leucis diſtan-

Clauis ſandalia tranſ-

diſtantem miſsus; vt breuitatem itineris carnis af- fligit in via.
flictione redderet aſperiorem, acutis ſandalia clauis transfixit; quorum acumina ad pedes vergentia ipſos in viæ decurſu, crudeli plaga cruentaſſe credendum eſt.

Cùm in Conuentu Limano ageret, ſæpè nudis genibus in terram flexis, imbre lachrymarum perfuſus clauſtrum percurrebat. In vltimo agone conſtitutus, cùm totus vehementia febris arderet, nonniſi de Confeſſarij conſilio & aſſenſu refrigerandæ linguæ modicam aquam auſus eſt adhibere. Tandem Seraphicum Parentem in corporis auſteritate imitatus, cum ipſo etiam ingenuam corpori grauioribus pœnis ac pœnitentijs, quàm naturæ debilitas pateretur, cruciato deprecatus eſt veniam. Verùm enimuerò Deus Serui ſui holocauſtum in ſuauitatem odoris ſe recepiſſe monſtrauit, dùm imminente mortis periodò à profunda extaſi reuerſus, auditus eſt in alacritate ſpiritus dicere: *Benedicta ſint talia flagella, ieiunia & pænitentiæ, quas tàm magnum gloriæ pondus expectat*. Hinc piè credere licet Viro Dei æternæ fœlicitatis gradum, ad quem mortificationis merito peruenturus erat, fuiſſe reuelatum.

Auſteritas in infirmitate.

A corpore veniam pro pœnitentia petit.

Pœnitentiæ præmium ei reuelatur.

In humilitatis abyſſo eximiarum, quibus ſplendebat, virtutum baſim & fundamentum ſtabile collocauerat; in hac ſeipſum viſus eſt exceſſiſſe. Hæc eſt enim illa virtus, qua ſuadente totiès ſibi collata prælationis officia depoſuit; itạ vt intra quatuor

Humilitas eius maxima.

Effectus. menſes, quibus munus Guardiani exercuit, illud vndeciès renunciaſſe comperiatur, non alio impulſu, niſi quòd ſe ipſis omninò reputaret indignum. Hæc eſt illa, quæ ipſum ex Hiſpania non minùs quã intenſa Charitas, ad Indias perduxit; vt enim faſtum bonæ famæ, quam ſibi tot virtutibus (& vt quidam Vir Religioſus ſe ab ipſomet confidenter audiſſe refert) mortui pueri reſurrectione comparauerat, declinaret ac tutiùs lateret, non ſolùm ad alterius hemiſphærij terras, ſed in abditiſſimas eiuſdem regiones ſeceſſit. Hæc illa eſt, quæ etiam dùm Guardiani fungeretur officio, ipſum nonnunquàm in Refectorium fune aut habitu ad collum alligato, & arundine per os tranſuerſa ad maiorem ſui contemptum & ad culparum, quas commiſiſſe putabat, veniam humiliter poſtulandam trahebat, & ad pedes Religioſorum calcandum proſtrabat.

Cõtemptus amat & optat. Altiſſimos humilitatis gradus attigerat, dùm in propria æſtimatione nihil erat niſi peccator ac homo vilis, talemq; ab omnibus ſe reputari ſummè deſiderabat; ſuam aliorum ſententijs facilè ſubmittebat, nec quidquam boni de ſe præſumens, de alijs magnam concipiebat æſtimationem, cunctos ſibi præferens, nemini ſeipſum anteponens. Digna ſunt æternæ memorię verba, quibus bonam, quam de Fratribus ſuis conceperat opinionem, & reuerentiã pandebat; aiebat quippè: *Dum audio Fratres inuicem colloquentes, credo ipſos de Deo tractare; dùm*

Aeſtimationem de alijs bonã habet.

video

video comedentes, puto ad id neceſſitate adſtrictos; dùm demiſſo immodeſtè caputio, brachijs incompoſitis, greſſuquè præcipiti aut indecenti cerno ambulantes; ſic eos ab hominibus contemni & ſtultos reputari velle exiſtimo, licèt reuerà coram Deo ſint iuſti & boni. Huius tandem humilitatis quaſi filiæ Matris ſunt benignitas, familiaritas & modeſtia, quibus etiam minimis & pauperioribus ſe libenter admiſcebat, neminẽ contemnens, omnibus amorem ac debitum honorem reddens.

Fructum legitimum perfectæ humilitatis patientiam, Vir Dei Solanus in omnibus vitæ humanæ experimentis inuictam ſeruauit: cùm enim ſe omni conſolatione indignum reputaret, nõ ſolùm ærumnas, infirmitates & contemptus patienter tolerabat; ſed & ipſis gaudebat, Deiq; cantica perſonabat. In magnis illis peregrinationibus quot pertulerit vitæ diſcrimina, quotiès æſtu & algore, ſiti ac fame laborauerit; ſuperiùs relata probàrunt, & in his omnibus nullum egreſsum eſt ab eius ore impatientiæ verbum. Grauiſsimis inſuper infirmitatibus afflictus, atquè doloribus continuis oppreſsus, fortiſsimo patientiæ ſcuto ſe muniuit; nec vnquàm aut triſtior, aut alijs grauior fuit, ſed ſemper hilaris & quietus Deum benedicebat, ità vt omnibus miræ tolerantiæ præberet exempla.

Patientia eius mira.

In laboribus.

In infirmitatibus.

Fuit etiam Vir Dei tentationibus illis probatus, quibus & ſincera humilitas, veraq; patientia detegú-

tur; amicorum ſcilicet Fratrum acri reprehenſione non ſemel agitatus. Ad eius aliquandò cellam acceſsit quidam grauis Religioſus, & nihil tale cogitantem cœpit acriter increpare; quòd homo ſuperbus & hypocrita eſset, quòd omnes vana ſanctitatis apparentia deciperet, addens prætereà detegendas aliquandò ipſius fraudes, nec plebem ſemper illius ſimulationibus fore decipiendam. Ad hæc Vir humilis & patiens, quòd talem inuenerit reprehenſorem, qualem olim Seraphicus Patriarcha ſibi formabat; exhilaratus, iubiloquè perfuſus ad pedes arguentis procidit, gratias egit ſe verè cognitum confeſſus, rogauit vt ſibi agnoſceret, ac pro ſalute animæ ſuæ Diuinæ miſericordiæ preces offerret. Receſſit alter compunctus, ac in bona quam de Viro Dei conceperat, opinione confirmatus.

In reprehẽſionibus.

Ingredientem ad ſe aliquandò Virum Sanctum infirmus quidam Religioſus grauis ac eruditus, cœpit hoc obiurgare ſermone; *Quid ad me hypochrita venis, nùm vt me ſicut alios decipias? vade retrò, nec vnquàm te meo conſpectui ſiſtas.* Haud fuit Vir Dei repentino caſu turbatus, ſed quia profundas in ipſius anima radices egerant humilitas & patientia, gaudio rèpletus, geniſquè riſu & lætitia perfuſis, in cunctis illum vera locutum altè reſpondit.

Cùm ab Hiſpania ad Indias nauigaret, aſperam à Religioſo ſibi meritis ac gradu non pari, mira tolerauit patientia reprehenſionem: quadam enim

die

die profundæ orationi intentum, ille duro rudiquè accentu redarguit; quòd vt priuatæ conſolationi vacaret, proximi bonum deſereret, Nigros Chriſtianam non doceret doctrinam. Hanc Vir Sanctus in ſilentio & mentis quiete excipiens increpationem, Chriſtianæ Fidei documentis inſtruxit illicò Nigros barbaros ſimul nauigantes; poſtmodùm ore ad laudes Diuinas ſoluto, totam in deuotis canticis, Deiq; & Virginis laudibus noctem tranſegit. Miratus hanc manſuetudinem reprehenſor, ac confuſus die ſequenti veniam deprecaturus, ad Viri Sancti pedes prouolutus eſt; quem ille amore ſingulari complectens, quaſi ſpecialem benefactorem excepit. His & alijs probationibus, palmam inuictæ patientiæ reportauit.

De vltima infirmitate. Cap.XIX.

ETſi tota Viri Dei Franciſci vita crux fuerit, & martyrium; tamen duobus (antequàm è viuis excederet) menſibus, vt Chriſtianæ patientiæ pretio Diuinas acquireret promiſſiones, grauiores ſenſit dolores, quibus adiuncta vehemens febris ipſum lecto decumbere omninò coegit. Veniant hùc omnes Chriſtiani, & Viri tanti exemplo viam bonæ mortis addiſcãt: Lectulo namq; decumbens, etſi viribus corporis paulatim deſtitueretur, animæ virtutes intendit, factus in infirmitate potentior. Infirmitas vltima.

Erat

Erat in proſpectu eius ſacra Crucifixi effigies, quem interdum alloquens gratias agebat, quòd ea, quæ propria manu corpori infligere non poterat, ille inferret flagella, & de hoſte ipſius (ſcilicèt corpore) optatam repoſceret vindictam. Indè ad ſeipſum dirigens verba, non hìc expectandam requiem fatiſcentibus membris conteſtabatur.

Virtutes eius in infirmitate.

Oratio, raptus, extaſes in infirmitate vltima.

Ab orationis exercitiò nulla eum infirmitas potuit amouere, ſed in vltimis illis diebus ità contemplationis in eo volatus efferbuit; vt ſemper inter Angelos conuerſari videretur, ac corporeæ neceſſitatis oblitus, etiam peritorum Medicorum iudicio, vitam miraculosè tamdiù protrahere crederetur. Nunquàm eius feruentior, aut prolixior oratio, nullum coram ſe niſi de Deo ſermonem miſceri, nihil niſi proficuum & ſpirituale legi permiſit. Voluit, vt Socius deuotiſſimas eruditiſſimi & pijſſimi Patris Ludouici Granatenſis meditationes coram ſe legeret; eo tamen modo, quòd interdùm eum à lectione ceſſare iubens, Vir Dei conuerſis ad Crucifixũ oculis in ſuauiſſima oratione audita ruminabat, à qua velùt à ſomno excitatus, iterùm legentem attentè audiebat. Poſteà ſolutus in lachrymas, familiarem ſibi precatiunculam, *Glorificetur Deus*; vel aliam huiuſmodi magna mentis teneritudine repetebat. Aliquandò Pſalmos illos: *Lauda anima mea Dominum*, &: *Benedic anima mea Domino*, poſtulans recitari; & ineffabilem in his cordis liquefactionem ſentiebat.

ciebat. Euangelium illud Ioannis, *Ante diem feſtum Paſchæ*, etiam ſibi legi optauit; ad cuius verba, ſed præſertim ad crucifixionis hiſtoriam, mirè commotus, Chriſtum patientem alloqui cœpit, & gratias agens, eius bonitatem & miſericordiam ſibi peccatori tàm benignè impenſam celebrare. Hymnis quoq; B.Virginis plurimùm recreabatur, & in illius conſideratione, iubilo & lætitia perfundebatur.

Euangelium ſibi legi facit.

Confeſſario ſuo aliquandò dixit: *Adiuua me, Pater, ad Dei laudes promendas*; moxq; adiunxit: *Deus meus, tu Creator, Rex, Pater meus, tu deliciæ, tu cunctæ res meæ*. Et his dictis adeò flamma Diuini amoris exarſit, vt anima ad intus conuerſa, totaq; ſpiritualibus delicijs occupata, ſenſus immobiles, corpuſquè marmori ſimile reliquerit. Quadam die, cùm idem Confeſſarius corporis eius anguſtias animæ voluptate ſubleuaturus dixiſſet: *O Pater Franciſce, quantum erit gaudium Ciuitatis Sanctæ Ieruſalem, lapidibus pretioſis ædificatæ, lucerna cuius eſt Agnus*; ità efferbuerunt Viri Sancti præcordia, vt in laudes Diuinas prorumperit, & in pelagus contemplationis immerſus, & omninò abſorptus, aperto ore, oculis eleuatis, corpore (quod per totum ęgritudinis tempus iacuerat) erecto, extenſis brachijs, decora ſui compoſitione longam ſit extaſim paſſus: qui cùm vocantium vocibus non reſponderet, ſolus in ſuauis deliquij libertate relictus eſt. Ab his autem exceſſibus, pro vt impreſſio cœleſtis mentem

Deum alloquitur.

Extaſis.

aſſe-

afficerat, aliquandò hilaris, aliquandò lachrymabundus reuertebatur.

Raptus. Exorto Sanctiſſimæ Trinitatis die feſtiuo, in tanti myſterij cogitatione, debilitatem corporis ſpiritus feruore corroborans, è cella quaſi alatus exiuit, voce alta intonans: *Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu*, omnes ad Indiuiduæ Trinitatis laudes celebrãdas inuitabat. Succedente poſteà Corporis Chriſti ſolemnitate, à dilecto animæ ſuæ Agno immaculato ſpeciali quodam beneficio recreatus eſt. Pater quippè Franciſcus à Mendoza Confeſſarius ipſius (qui nocte illa cellulæ eius oſtiũ ipſum inuiſurus aperuit) ſolum quidem inuenit, ſed loquentem, & multa gaudij ſigna demonſtrantem. Audijt quoq; hæc verba: *Venite adoremus & procidamus ante Deum*, ſæpiùs repetentem. Vidit & angulum cubiculi quendam manibus deſignãtem, quaſi Maieſtatem illam (quam laudabat, ad cuius etiam laudes creaturas vocabat) indicaret. Qui mox ad Confeſſarium intuentem conuerſus, rogauit; vt abiret, nec ſuaue illud matutinum ſua præſentia turbaret. Cui ille morem gerens clauſo oſtiolo receſſit, ſed tunc Virum Dei ſingulari aliqua Chriſti viſione honoratum, ex ijs quæ viderat, & audierat, intellexit.

Viſio mirabilis.

Viaticũ recipit. Creſcente infirmitate viſum eſt Medicis opportunum ſacri Viatici tempus, quorum ſententiam ſignificantibus ſibi Fratribus, reſpondit Vir Sanctus:

In-

Intempeſtiuè quidem, & promptiùs; ſed tàm bonum hoſpitem Chriſtum citò recipiamus (fuit hæc dies decima quinta ante obitum eius.) Sacramento mira deuotione ſumpto, viſus eſt quaſi nouas acquiſijſſe vires, quarè Reuerendiſſimus P. Ioannes Venido, mox Epiſcopus Orenſis, vitæ terminum diutiùs protrahendum exiſtimans, Viro Dei, quòd ſacram Portiunculæ Indulgentiam lucraturus putaretur, ait: Cui ille, indulgentiam quidem dilecti ſui Patris Sācti Bonauenturæ ſe conſecuturum adiecit: Quibus verbis, alijſq; inditijs in feſto tanti Doctoris obiturum omnes intellexerunt; nec deſunt pij boniquè Religioſi, qui clarè & diſtinctè ſic à Dei Seruo prædictum affirment. Aſſeritquè P. Franciſcus Nuñes, quòd nocte feriæ ſecundæ, biduò antequàm migraret; cùm nonnulli Fratres ad cellulam Viri Sancti concurriſſent, ſibi ab eo dictum fuit: *Mone Patres illos, vt redeant ad ſomnum; non enim hac nocte, ſed in die Patris mei Sancti Bonauenturæ ſum moriturus.*

Mortis diē prædicit.

Circa vltimos vitæ ipſius dies multotiès auditæ, & viſæ ſunt auiculæ quædam in cellulæ feneſtra, cantu ſuauiſſimo, & melodia inſolita adſtantium aures animoſq; rapientes; quæ cùm nec ſtrepitu, nec vocibus humanis terrerentur, ac noctibus ipſis, mediaquè hyeme (Iulio enim menſe hyems Limanis eſt) præter morem canerent, corpus eius mortuum ad Valetudinarij oratorium poſteà ſuauiter reſonando ſint ſubſecutæ; mirum aliquem, & pla-

Auiculæ circa moribundi cellulam cantant.

Auicularum cantus mirabilis, & inſolitus.

nè Diuinæ operationis effectum portendere putabantur.

Quinto ante obitum die Fratri Ioanni Gomez infirmorum curæ Præfecto, ait: *Nunquid aduertis, Frater, magnam Dei erga me miſericordiam, qui vires mihi ad vincendum & expugnandum inimicum ſuppeditauit.* Triduo mortem præcedente, ad Religioſum ſibi miniſtrantem reflectens, lachrymans ac ſuſpirans in hæc verba erupit: *Vndè hoc mi Domine Ieſu, vt tu crucifixus, & ego ſeruorum tuorum miniſterio adiutus; tu nudus, & ego coopertus; tu alapis percuſſus, ſpiniſquè coronatus, & ego tot bonis cumulatus, totquè beneficijs conſolatus.* Die ſequenti, præſentibus multis Fratribus, exclamauit: *O Deus animæ meæ, ſis glorificatus; qualis eſt tua circa me dignatio? quòd cùm in deſertam ſolitudinem quaſi ſtercus maleolens proijci, & ab omnibus merear derelinqui, tunc Angelis iſtis* (Religioſis ſcilicet) *me video circundatum, & eorum officijs tàm affluenter ſubleuatum. Gaudeo, Domine mi, quòd Deus ſis, ò quàm ſuauis es?* His dictis, ad adſtantes conuerſus, eos ad amorem Diuinum efficacibus verbis eſt adhortatus. Tandem, quidquid ad nouiſſimum halitum temporis fluxit, totum in charitatis, orationis, & omnium actibus virtutum expendit.

Deum alloquitur.

Humilitatis actus.

Die 12. Iulij, Extremæ Vnctionis Sacramento ſe ad agonem vt bonus Chriſti miles accinxit, atquè vt faciliùs pauper & nudus cum nudo hoſte pugnaret,

Extremam Vnctionem recipit.

ret, laceriorem habitum in eleemoſynam à Guardiano impetrauit; mox commendata præceptorum cœleſtium & Regulæ Seraphicæ obſeruantia, ſingulis Fratribus tenerrimo amplexu valedixit, & quanquàm, dùm viueret, ſpeculum ſanctitatis fuiſſet, malæ ædificationis, & vitæ parum religioſæ ſupplex & gemebundus veniam deprecatus eſt.

Extaſis. Nocte tranſitum præcedente in profundam extaſim raptus, omnium adſtantium iudicio expiraſſe creditus eſt. Reuerſus tamen poſteà, exclamauit: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi; in domum Domini ibimus*. Ex tunc vſquè ad finem, viſa eſt in facie eius ſuperfuſa lætitia, alacritas, & venuſtas, ac anima eius de bono ſibi promiſſo exultans, in effuſa gaudij ſigna prorupit. Dicenti ſibi cuidam Fratri; *Quandoquidem te, Pater, iam iam ad Cælum Deus extollet, memento mei dùm veneris in Regnum æternum.* Reſpondit hilari voce: *Ità eſt, quòd ad Cælum pergo; ſed hoc ex meritis mortis, & Paſſionis Chriſti: ego enim maximus peccator ſum; cùm ad patriam appulero, bonus tibi amicus ero.*

Mortis dies. Orta eſt deniq; dies Sancto Bonauenturæ ſacra, in qua Vir Dei debitum naturæ ſoluturus, non horruit ad terribilium terribiliſſimum, ſed multis inditijs ineffabilem lætitiam pandit. Eadẽ die, febris cõtinuæ (quæ corpus exeſa carne velut aridas radices exſiccauerat) ſubitò intemperies ceſſauit, oris ſaliua priùs fœtida, iam ſuauem odorem emiſit: manus

Corpus ante mortem innouatur.

aſperæ & rugoſæ, tunc candidę & naturali redditæ proportioni apparuerunt. Adeòq; nouas videbatur induiſſe vires, vt quidam Medicus dùm poſteà defunctum ſciuit, aliquo caſu extraordinario (putà amoris Diuini, aut deſiderij cœleſtis violentia) expiraſſe affirmauerit.

Cùm itaq; Religioſi adſtantes officium Diuinum voce intelligibili recitarent, Vir Dei ad verſiculum, *Gloria Patri*, oculis ac manibus ſurſum erectis ſolitam iaculatoriam, *Glorificetur Deus*, ſuauiter proferebat. Finitis Pſalmis, Symbolum Fidei decantatum eſt, ſuam interim muſicam & harmoniam auiculis commiſcentibus; cùmq; ad verba illa, *Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*, ventum eſt, inſonuit etiam Eccleſiæ campana ſignum eleuatæ Hoſtiæ in Miſſa ſolemni S. Bonauenturæ. Tuncquè Vir Sanctus ad Crucifixum intentus, manibus in Crucis figuram compoſitis, deuotam oratiunculam, *Glorificetur Deus*, cum anima ad Deum eiaculatus eſt, & dormienti ſimilis expirauit; Die 14. Iulij S. Bonauenturæ feſto, Anno verò milleſimo ſexcenteſimo decimo, ætatis ſuæ ſexageſimo primo. Corpus à Fratribus curatum, circa meridiem ad Valetudinarij Oratorium iuxta morem delatum eſt.

Tranſitus. Mortis dies, menſis, & annus:

VITAE

VITAE
VENERABILIS SERVI DEI
P.F. FRANCISCI SOLANI
LIBER SECVNDVS.

De mirabilibus, quæ poſt mortem Viri Sancti acciderunt, & de glorioſa eius ſepultura.
Cap. I.

CVM anima Viri Dei Franciſci Solani ad Regis immortalis gloriam migraſſet, corpus eius, quod vltra naturalem complexionem, ob longas & difficiles peregrinationes, rigidas pœnitentias, & graues infirmitates (dùm viueret) ad nigredinem & ſiccitatem vergebat; ſubitò candidum, pulchrum, tractabile & plenum non ſine ſpectantium ſtupore effectum eſt. Oculi, quos perpetua mortificatio viſibilibus clauſerat, mox aperti miro ſplendore rutilabant: Caro illa ſpiritu orbata ſuauem emittebat odorem, & quæ priùs ob ægritudinis maciem & hyemalis tempeſtatis rigorem, frigus tàm acre contraxerat, vt nullo operimento ſatis calefieri poſſet; iam nouum induit calorem, quo per multas horas frigen-

Corporis eius mortui mira priuilegia,

Oculi poſt mortem lucidi.

Caro tractabilis & ſuauis.

Odor corporis mortui ſuauis.

frigentes aliorum manus ſolo calebant contactu. Acceſſit aliud mirabile, quòd etiam poſt decimam ſeptimam ab eius fœlici tranſitu horam; cùm quidam extremam pedis vngulam, & capitis capillos ſecare tentaſſent, perducto inconſultè ad carnem, & pellem forcipe, copioſus ex leui vtrinquè ſciſſura ruber & coloratus ſanguis per longum effluxerit tempus, quæ omnia à Medicis & doctis Viris ſunt miraculo adſcripta. Illud etiam non tacendum, quòd cùm Ioannes Mondragon Chirurgus poſt 23. horam, pedem defuncti oſculare volens, cruris ſutam manu ſuauiter apprehendiſſet, illicò (quaſi vixiſſet) crus ad ſe retraxit; quo motu magnum tangenti incuſſit timorem, & reuerentiam.

Sanguis à ſciſſura mortui corporis defluit.

Crus mortuum retrahit.

Vt Excellentiſſimus Prorex Marchio de Montes-Claros Franciſci mortem audiuit, ſepulturam ipſius ad diem ſequentem differri mandauit; volens ei, quem viuum pluris æſtimauerat, etiam mortuo officia deuotionis exhibere. Concurrit interim vniuerſa multitudo Populi ad Conuentum, ex omni ſexu, ætate & conditione Sanctum (vt aiebant) viſuri: Alij pedibus oſcula deuota figebant, alij habitum in pretioſas particulas diſsecabant (horumquè tantus erat numerus, vt eadem die quatuor tunicæ corpori mortuo ſucceſſiuè aptatæ, in fragmenta conſciſæ ſint.) Alij roſaria & coronas pretioſi cadaueris contactu ſacrabant; & omnes manifeſtas gloriæ futuræ primitias in carne illa mirabantur.

Concurſus Populi ad corpus vidē dum, & honorandum.

Habitus quatuor in particulas diſſecantur:

Poſt

Poſt occaſum Solis recedente Populo, liberior patuit Religioſis acceſſus, qui per totam noctem ſanctum depoſitum cuſtodientes, ei effuſa deuotionis perſoluère officia.

Eadẽ nocte ignea è Cœlo Conuentui, & Valetudinarij Oratorio inſidente columna, quæ procedens circa horam vndecimam à quibuſdam deuotis Monialibus Clariſſis ſuper ipſarum Monaſteriũ decidere viſa eſt; quæ cùm etiã duodeciès renata obſcuras noctis illius tenebras in diei lucem totiès conuertiſſet, habita quoq; hybernæ tempeſtatis ratione, aliquid ſingulare præſagire putabatur. Hanc & quædam eiuſdem Monaſterij Religioſę tribus noctibus, illa ſcilicet, quæ morti Viri Sancti proxima fuit; ea qua (vt iam retulimus) corpus in Oratorio iacebat, & illa qua è ſepulchro (vt infrà dicetur) eductum eſt, apparuiſſe teſtatæ ſunt.

Columna ignea poſt mortem eius apparet.

Interim non receſſit à foribus Cœnobij innumera plebis caterua, quæ per manus cuiuſdam Fratris coronas, & roſaria ſacri corporis benedicenda attactu continuè tranſmittere non ceſſauit. Binis ante diluculum horis vrgente Populi clamore, aperta ſunt oſtia, factuſq; eſt tantus omnium concurſus; vt opponendi fuerint cuſtodes ad ingreſſus, qui nimios intrantium impetus cohiberent. Tunc omnium Ordinum Religioſi Prelati & ſubditi ad contuendum & venerandum eum, & pauperes tunicæ ipſius particulas retinendas confluxerunt. Ipſa Sancti Augu-

Religioſi omniũ Ordinum cõcurrunt ad videndum & honorandũ.

ſtini

ſtini veneranda Communitas, quæ à duobus annis Franciſcanæ familiæ conſuetudine non fuerat vſa; quaſi ab Angelo pacis inuitata, ad ſacrum corpus honorandum ſponte acceſſit. Tunc etiam impletum eſt verbum à Franciſco nuper prolatum, quo cuidam prefati Ordinis Auguſtiniani Religioſo, ſibi amico & proximo, quòd videre ipſum in infirmitate non poterat, condolenti reſpondere fecit, dicens; *Nè moleſtiam inde percipiat, quoniam citò ab eo iuxta deſiderium videbor, & intra quatriduum pax ſumma inter omnes ſtabilietur.*

Prophetia eius impletur.

Eodem manc Illuſtriſſimus Limanæ Metropolis Archiepiſcopus Eccleſiaſtico Capitulo ſtipatus, & Excellentiſſimus Peruani Regni Prorex cum Equitibus, Senatoribus & Officialibus multis ad Valetudinarij Oratorium venerunt. Qui ſacri corporis pulchritudinem, ſuauitatem & candorem admirantes proni in terram ceciderunt, & humilia pedibus eius oſcula infigentes, quantum virtus eximia apud ipſoſmet ſæculi Principes polleat, demonſtrârunt. Ipſe egregius Prorex, qui intra ſe manus oſculari decreuerat, præ ſumma reuerentia non præſumpſit. Vtq; perpetuum apud ſe tanti Viri memoriale ſeruaret, ac in periculis præſens ſemper haberet auxilium, humile Serui Dei ſagum in pretioſam reliquiam ſibi dari curauit: Poſteà vterquè ille, Eccleſiæ & ſæculi Principes illuſtres humeros ſacro oneri ſupponentes, adiuuantibus Religionum Prælatis, feretrum

Archiepiſcopus Limanus corpus inuiſit.

Itẽ Prorex Peruanus.

Feretrum deferunt.

ab

ab Oratorio in Eccleſiam detulerunt.

Incredibile eſt, quàm frequens Populus ad Eccleſiam confluxerit; ipſum etenim Proregis ſatellitium, licèt hæc triplici naui innumeræ multitudinis capax, vix ab arcendo tumultu, & ad ſpatium corpori deferendo aperiendum ſufficiebat: Omnes corpus contingere, videre, & venerari contendebant. Collocato itaq; in mediam Capellam feretro, Muſici Cathedralis Eccleſiæ cum multis Religioſis Miſſam pro defuncto ſuauiter concinerunt, celebrante Reuerendiſſimo Patre Venido tunc Prouinciarum illarum Commiſſario, mox Epiſcopo Orenſi. Concionem habuit R.P. Ioannes Sebaſtianus, Societatis Ieſu Præpoſitus Prouincialis; qui cùm eſſet Vir Apoſtolicus, & vitę innocentia conſpicuus, eximias Serui Dei virtutes, acta heroica, crebra miracula, & pretioſam mortem ſpiritu verè Seraphico annunciauit. Tandem licèt renitente omnium deuotione, quæ ſibi talem theſaurum ab oculis eripi ęgrè patiebatur, corpus ſepulturæ mandatum eſt, & in Capella ſepeliendis Fratribus deſtinata ſub Altari maiori in capſa lignea depoſitum.

Funus Franciſci Solani.

De miraculis per Viri Dei merita in die eius obitus & ſepulturæ operatis. Cap.II.

VIrtutibus ſe homo, dum viuit, Dei Seruum fidelem probat; grata ſibi hominis fuiſſe ob-

Miracula à Seruo Dei in die obitus & ſepulturę operata.

ſequia,poſt mortem Deus miraculis manifeſtat: ità profectò ſe circa dilectum Famulum ſuum Diuina munificentia geſſit, quem in ipſo obitus die voluit miris operationibus coruſcare.

Capitis dolorem ſanat

Dolebant grauiſſimo capitis dolore Patres Ioannes Sedano, & Ludouicus Pacheco Obſeruantes Minoritæ, cùm ipſo mortis Franciſci Solani die, ille ſacras defuncti manus ſuo reuerenter capiti imponens; hic quandam eiuſdem reliquiam deuotè contingens, ſubitæ liberationis gratiam receperunt. Nec minùs ſe in alios Fratres ſuos beneficium Vir Dei exhibuit, nam teſtante P. Franciſco de Mendoza Prędicatore inculpatæ vitæ Religioſo, eadem die quidam Fratres in Valetudinario ægritudinibus detentis, ſalui & incolumes euaſerunt.

Aſtmaticos liberat

Cùm Chriſtophorus Viuas iamdiù aſthmatico dolore laboraret, tentatis fruſtrà humanis remedijs ad opem Diuinam confugit, & coram Franciſci Solani corpore humiliter genuflexus orauit. Exaudita eſt humilis eius deprecatio, nam Serui Dei interceſſione liber receſſit. Similiter & Anna de Prado à decennio aſthmatica, acutam febrem, & acutum lateris cruciatum nonnunquàm patiebatur. Hæc nullo ſubleuata remedio, audita fœlici P. Franciſci morte, ipſum pro ſalute deprecata eſt, & tunicæ ipſius particulam pectori deuotè admouit: Ad cuius contactum ſubitò conualeſcens ſimilem nunquàm imposterùm ægritudinem ſenſit, licèt ſæpè à præ-

ſcripta

ſcripta ſibi vitæ ratione in tantùm deuiauerit; vt anteà ex minimo horum exceſſu, moleſtias quaſi læthales experiri ſoleret.

Ioannes ab Azaña Mercator iampridem ventis intra præcordia concluſis grauatus, nec corpus erigere poterat, & quibuſdam membris intumuerat: Hic coram ſacro cadauere genuflexus orans, vt manus & pedes deuotè oſculatus eſt, ſe liberum vidit. A vẽtoſitate

Eadem die Franciſcus de Aualos Tinoco, cùm à multis menſibus tertianam, ac interdùm quartanam cum vehementis frigoris crebro acceſſu febrem pertuliſſet, vt P. Solani corpus inuiſit, manibus & pedibus oſcula infixit, habitus eius & chordæ præſegmina collo ſuo reuerenter appoſuit; quam imminere putabat febris moleſtiam, nec tunc, nec impoſterùm ſenſit. A febre liberat.

Semeſtris puella Ioannis Stephani Perez, & Antoniæ Ortiz de Vargas, filia ob neruorum tumorem manca facta eſt; acceſſit & vehemens fluxio in brachium iam læſum, fletus ab ea lugubres extorquens. Afflictus filiæ malo Parens ad Conuentum Sancti Franciſci, quandam P. Solani eadem die defuncti reliquiam petiturus accurrit: Obtentum tunicę paruum fragmentum, ægrotantis puellulæ partibus læſis reuerenter approximauit; ad cuius contactum ſubitò neruorum contractio deſijt, fluxio ceſſauit, & infantula perfectum manus, brachijquè vſum recuperauit. A fluxionibus.

A febribus. Puer ſeptennis Ioannis de Eſquibel filius, alternis intenſi frigoris, & vehementis caloris vicibus in febrem periculoſam deciderat. Cùm eo, quo Vir Dei migrabat momento, exclamauit: *Deferte me ad Patrem Solanum; quia ille me ſanabit* Delatus itaq; ad Oratorium, in quo corpus expoſitum erat, manus illius & pedes deuotis oſculis eſt veneratus; moxq; leuamen ſentiens, domum alacer & gaudens reuerſus eſt, nec malo huiuſmodi vltrò laborauit.

A tumore. Ludouicus Laurentius de Eſquibel duodecim annorum puer, graui infirmitate; quaſi obſtructione oppreſſus, ità circa ſtomachi orificium intumuerat; vt à Medicis moriturus crederetur. Verùm eadem die, qua Seruus Dei debitum naturæ perſoluit, tunicæ ipſius particulam à quodam Religioſo accepit, quam nocte ſequenti ad turgentes ſtomachi fauces confidenter admouit; manè autem conſurgens, ſe ſanum à tumore inuenit.

Ab vrinæ detentione. Catharina de Armenta vxor Ioannis Martini de Viuas diuturna ſtranguria, ſeu vrinæ detentione laborans, cum nec cibum, nec ſomnum capere poſſet; à Medicis derelicta morti proxima credebatur, iamquè ſepulturæ ipſius neceſſaria parabantur: cùm ingrediens ad illum Ioannes de Villauicentio, mortem P. Solani recentem annunciauit, & ægram; vt eius merita imploraret, admonuit. Illa itaq; Serui Dei humiliter expoſcens auxilium, tunicæ eius fragmento partem dolentem tetigit, ac filum eiuſdem ſtami-

ſtamineum ore deglutijt, ſtatimquè calculum cum vrina eijciens ſanitati completæ reſtituta eſt.

Pater Didacus de Eſtrada Ordinis B. Mariæ Redemptionis Captiuorum Sacerdos acutis & intenſis febribus (quarum ſingulis acceſſionibus biduò detinebatur) laborans, nec remedium in humanis inueniens; ipſo exequiarum P. Solani die cùm acutiſſimus eſſet capitis dolor, & vehementior æſtus accretio, ad eum pro ſanitate exorandum ſe contulit. Itaq; frequentes Populi turbas penetrans, & coram corpore genuflexus procumbens, eius pedibus & manibus deuota oſcula conſignauit, & caput illius plantis reuerenter ſupponit. Exauditus eſt pro ſua deuotione & Serui Dei meritis, nam illicò febris & dolor non ampliùs reuerſura abſceſſère. In cuius beneficij memoriam ſingulis poſtmodùm noctibus *Pater, & Aue Maria* ad Virum Sanctum dirigere conſueuit. A febribus.

Eleonora de Coca Ioannis Perez de Mendejar vidua, cùm à triennio continuis cerebri fluxibus & rhumis afflicta, nec palatum lingua contingere, nec vocis articulos poſſet efferre, quandam habitus Serui Dei reliquiam vertici ſuo ſuperinduxit, & ſtatim ſubſecuto leuamine, meruit ab ægritudine liberari. Sic & Maria Sancia eadem tunicæ præſegminum virtute, ipſa funeris die à moleſto capitis dolore, & febri intenſa ſanata eſt. A rhumis.

Eleonora de Abreù à ſex menſibus profluuium A profluuio

ſan-

ſanguinis. ſanguinis patiebatur, exquiſitis medicinæ remedijs non tàm non diminuta, quàm aucta infirmitas eam pauliſper ad mortem ducebat. At præcipua mali vis ipſo Patris Solani exequiarum die efferbuit: Cõtigit autem, vt Capitaneus Dominicus de Buſtinca maritus ipſius cum Prorege (cuius ſatellitij Locumtenentis officium agebat) Conuentum S. Franciſci manè ingreſsus, & candorem, ſuauitatem, odorem, & alia ſuperiùs enarrata exanimati priuilegia corporis admiratus; fortè aliquas tunicæ ipſius particulas à Religioſis dono acceperit, cum quibus domum reuerſus vxorem ſic periclitantem, vt gauderet admonuit, & de ſalute reliquiarum Patris Solani contactu obtinenda ſperaret. Et reuerà admotis ad infirmæ ventrem ſacris præſegminibus, ſubitò profluuium ſtetit, & ſanitas optata rediuit.

A lateris fractione. Iſabella Carrillo filium latere dextro confractum peperit, cuius tanta vis ęgritudinis erat; vt cùm vnum alteri crus admouebatur, præ vehementia doloris immutari ad mortem videretur. Itaq; deſperato infirmitatis in aluo materno contractæ remedio, nec quidquam vnctione, vel alio medicamine iuuantibus, puerum afflicti Parentes Sancto Patri Solano humiliter obtulerunt. Cuius quoniam dies exequiarum erat, nec ob concurrentem multitudinem infantulum ad Eccleſiam deferre audebant, particulam tunicæ Viri Sancti confidenter appoſuerunt infirmo; qui ad ſalutarem reliquiæ con-

tactum

tactum ſtatim ſanus, & omninò illæſus euaſit.

Eleonora de Sotomayor Franciſci Suarez ab Amaya vxor intenſo cruris dolore à quindecim diebus vexata, ad Viri Dei funus licèt ægrè ſe contulit; quò cùm niſi eo iam tumulato non perueniſſet, deuotas ad ſepulchrum preces effudit, & habitus ipſius præſegmine ſibi admoto, ſenſim à cruciatu libera, & perfectæ ſanitati reddita fuit. A cruris dolore.

Mariam Euphemiam de Pareja Ioannis de la Raya vxorem vehemens à duobus & vltrà annis cordis dolor angebat, cui adiuncti repentini corporis tremores, ex leuiori quaquè moleſtia cauſati, eam ſæpè ad mortis fauces trahebant. Exhauſtis medicinæ curis, & infirmitate ad mortem iudicata, afflicta mulier, quo die tumulatus eſt Vir Dei, tunicæ ipſius fragmentum cordi appoſuit, & deuotè opem ipſius implorauit; nec fraudata eſt à deſiderio ſuo, nam illicò integram obtinuit ſoſpitatem. A cordis dolore, & tremoribus corporis.

Proſecutio præcedentium miraculorum: Et quomodò corpus Franciſci Solani è ſepulchro extractum fuerit, vt depingeretur. Cap. III.

MAria Gutierrez de Medina Vxor Thomę de Herrera Eſcalona, ſthruma graui in modum carcinomatis ſub ſiniſtro brachio erumpentis afflicta; cùm in cura Medicorum multas fruſtrà per duos circiter annos expendiſſet facultates, ac adeò A ſthruma.

bra-

brachium intumuiſſet, vt illud pectori admouere non poſſet: Ad ſacrum Serui Dei funus, licèt admodùm difficulter, acceſſit. Cuius pedes reuerenter oſculata, ex ijs (quæ in corpore vidit) ſanctitatis inditijs, ipſum ſibi potentem apud Deum interceſſorem futurum ſperare cœpit: Quamobrem fide animata, emplaſtra ſibi à Chirurgo miniſtrata extraxit, & in manus Ioannæ Franco ſociæ & adiutricis ſuæ depoſuit, & pro ijs aliqua habitus Serui Dei particula turgentem ſthrumam contexit. Ipſum interim humiliter exorans, & ſe ſingulis vnius anni quartis ferijs in honorem ipſius ieiunaturam, & roſarium recitaturam promittens: Adfuit deuotæ mulieris orationi Franciſcus, eamq; reſoluto penitùs tumore, & dolore repreſſo mirabiliter ſanauit. Cùm autem poſt octodecim annos à Iudicibus Apoſtolicis ad inquirenda Serui Dei miracula deputatis, omnes (qui haberent perſpecta) ea iuridicè declarare, promulgato in Eccleſia Cathedrali edicto iuberentur, hæc acceptæ ſanitatis beneficium fideli teſtimonio promere detrectauit. Quæ in pœnam ingratæ memoriæ iterùm priſtino dolore & recrudeſcente carcinomate afflicta flagellum Dei agnouit, & ad Sancti Viri ſepulchrum pergens culpabilis ſilentij veniam, & inflictæ pœnæ medelam popoſcit, & ſalutis olim ſibi mirabiliter reſtitutæ iuridicam vouit declarationem. Placuit Deo promiſſum, & ſtatim ſthruma renaſcens abſceſſit: mulier verò co-

Miraculum celans punitur.

Miraculum promulgare ſtatuens ſanatur.

ram

ram Iudicibus Apoſtolicis cum Ioanna Franco ſinceram & diligentem totius ſucceſſus edidit confeſſionem.

Non ſolùm autem ſe Viri Dei Franciſci virtus ad corpora, ſed & in ipſas mentes extendit: Erat quidam in Ciuitate Limana adeò inueterato conſuetudinis peruerſæ iugo ſubactus, & à triginta annis in horrendum peccatum procliuis, vt ſe nulla vi ab eo retrahi poſſe affirmaret. Hic ad Franciſci Solani exequias cum plebis affluentia concurrens, ad corpus acceſſit, intra ſe dicens; ſi Vir iſte Sanctus eſt, me ab huius vitij nexibus liberabit. Dùm ergò eius ſe precibus & meritis propterea commendaret, & pedibus ſacris oſcula deuota infigeret; repentè in virum nouum mutatus, corde liquefieri, contritionis dolore intùs vrgeri, peccati deformitate & Diuinæ iuſtitiæ flagellis terreri, ac miſericordiæ cœleſtis conſideratione recreari ſe ſenſit. Et indè ſtatim exurgens Confeſſario latentia conſcientiæ vulnera patefecit, atq; à dura peccati lege per Serui Dei auxilium liber euaſit.

A mala con ſuetudine hominē retrahit.

Mulier quædam ex præcipuis Ciuitatis, tantùm à duodecim annis erga quendam hominem extremæ ſibi paupertatis auctorem conceperat odium; vt ad illi condonandum nulla vnquàm ratione à viris Religioſis potuerit adduci: immò etiam mortuo continuis imprecationibus maledicebat, & quam ipſa ſumere non poterat, à Cœlo vindictam petebat.

Ab odio inueterato liberat mentem.

bat. Quæ cùm ad Serui Dei exequias veniſſet, ac ſacros illius pedes & manus oſculatura, propiùs accedere conaretur; refulſit ſubitò lumen in habitaculo cordis eius, & interiùs illuſtrata ſibi tacitè exprobrare cœpit: quomodò, cùm ſim tot peccatorum rea, Sancti illius pedes contrectare audebo? Et ad illum conuerſa, rogauit; vt pro ſe ad Deum interceſſor exiſteret, quatenùs ope Diuina, odium à corde deponeret. Mox ſacram Viri Dei manum oſculata, eam cordi ſuo appoſuit. Ad tàm fœlicem contactum lapidei pectoris eſt emollita durities, fugato odio amor ſucceſſit, & tranquillitas auerſioni. Ac deinceps non vindictam, ſed veniam; non calumniam, ſed bonam famam defuncto inimico conciliare ſollicita fuit.

Honorare Seruum Dei detrectans punitur.

Quantùm verò in Serui ſui amicos & veneratores ſe munificum exhibuit Deus, tantùm ſe in eiuſdem contemptores ſeuerum vindicem Michaelis Gomez artificis ſellarij caſtigatione probauit. Hic enim non ſolùm defuncti corpus cum tota Populi frequentia viſitare noluit, ſed etiam ipſum aliquo modo deſpexit: nocte verò illa, cùm ſe grauibus & læthalibus moleſtijs ſenſiſſet turbatum, die ſequenti ad Conuentum Sancti Franciſci ſe contulit, & pedes ſacros eſt oſculatus. Ex illo oſculo, non eam, quàm alij deuoti ſuauitatem, ſed faſtidium ſtomachi, & horrorem percepit. Domum reuerſus lectulum conſcendit, nec quam optabat quietem inuenit:

vide-

videbatur ſibi interim Venerabilem P. Solanum præſentem videre, & ſibi hæc obiurgantem audire; *Quarè cùm ſis terra & cinis, ad pedum meorum oſculum exhorruiſti? caue tibi, & quid indè tibi continget, videbis.* Altera verò die factus eſt omnis miſeriæ ſimulachrum, claudus & debilis cruribus, oris ſitu deformis, dentium gingiuis pallens, & toto corpore velut truncus immobilis. Agnouit occaſionem inflicti flagelli, & ad Viri Sancti præſidium ſe deuota prece conuertit: vxor quoquè eiuſdem aliquas ſacri interceſſoris reliquias marito reuerenter admouit, ad quarum contactum rediјt os ad priſtinum ſitum, & omnis ægritudo receſſit; excepto tamen, quòd in aliorum exemplum aliquandiù ſine fulcimentis ire non potuit, donec ab eo, à quo inſtantaneam receperat aliorum curationem, iſtius etiam infirmitatis integram pauliſper obtinuit ſanitatem. *Pœnitens ſanatur.*

Tumulato Viri Sancti corpore Excellentiſſimum Proregem pia cogitatio inceſſit, Mundum ſcilicet vera eius imagine non eſſe fraudandum. Quare eadem nocte poſt octo à funere horas, vt naturali eius effigies pingeretur, illud è ſepúlchro iuſſit educi. Tunc obſeruata ſunt eadem, quæ ſuprà narrauimus, in ſacro cadauere mirabilia: Completa imagine pretioſum rursùs depoſitum terræ mandatum eſt. Religioſi autem, non ſolùm Conuentus, ſed & Prouinciæ totius ſpirituali conſolatione hac hic perfuſi, quandam ineffabilem mentis teneritudinem, profi- *E tumulo extrahitur.* *Imago eius depingitur.* *Conſolatio magna ſpiri*

tualis in to-ta Prouin-cia Limana. ciendi deſiderium ardens, & rerum cœleſtium amorem ſe ſimul percepiſſe notauerunt.

De miraculis poſt ſepulturam à Viro Dei operatis, & primò de multis Religioſis ipſius interceſsione ſanatis. Cap. IV.

Miracula poſt ſepultu-rā operata. Venerabilis Chriſti Famulus Frater Andreas Corco acri podagræ moleſtia cruciatus, ab anno & medio abſquè baculo incedere non valebat. Hic braccas (quas Sanctus Pater Solanus dùm viueret) geſtauerat, vix induit; cùm ſubitò ſe liberum ſenſit, & licèt octoginta annis prouectus, tamen ſine fulcimento deinceps ambulauit. Sic & quidam alius Religioſus habitus Serui Dei Franciſci particula graues podagræ dolores extinxit. A podagra ſanat.

A ſtomachi malo. Fr Ioannes Gomez Conuentus Limani Infirmarius ſtomacho grauiter laborans, ſe quo Seruus Dei olim vſus fuerat flagello, reuerenter contexit, & ſtatim conualuit, quod & in multis alijs infirmitatibus ſalubre inuenit. A ſimilis etiam ægritudinis, multorumq; aliorum cruciatuum malo Pater Franciſcus de Mendoza Minorita Prædicator, tunicæ Viri Sancti præſegmine ſanus euaſit.

Ab ābſceſſu & febre. P. Ioannes Rodriguez de Saauedra Conuentus S. Mariæ Angelorū Recollectionis Limanæ Guardianus, abſceſſu & febre vehementi decumbens, applicato ſibi Viri Sancti ſagi fragmento leuamen illicò,

cò,

cò, mox integram ſanitatem recepit. Sic & P. Hieronymus Ildephonſus à Turre periculoſa febre vexatus, ſepulchrum Serui Dei viſitauit, & appoſita ſibi habitus eius reliquia conualuit.

Fr. Antonius Lopez Laycus cruris dolorem, & læſionem adeò grauem patiebatur, vt nullo remedio potuerit ſubleuari; conuerſus autem ad Patris Solani merita, in eius memoriam *Pater noſter*, *&* *Aue Maria* ſemel recitauit, & ſtatim dolor & læſio ceſſârunt; & pede, quem priùs in terram collocare nõ poterat, cœpit commodè ambulare. A cruris læſione.

P. Franciſcus de Torrez Cõuentus Truxilli Guardianus præter acutiſſimos cruris & humeri dolores, alia quoq; ſecreta & periculoſa infirmitate afflictus ad balnea Prouinciæ de Caxamalca à Superioribus pro cura tranſmiſſus eſt. Quò vt appulit, ſibi datum habitus Franciſci Solani præſegmen ad partes dolẽtes appoſuit, & pia ſupplicatione ipſum ſibi (dum olim viueret) amicum, iam fieri aduocatum rogauit. Et ecce ſubitò tantum lenimen ſenſit, vt abſq; vllo humano remedio ab omnibus morbis ſanus euaſerit. A doloribus varijs.

P. Ioannes Sedano ob vehementem pedis dolorem, nec ſtare, nec ſedere, nec iacere poterat. Qui pannum Viri Dei corporis tactu ſacratum, vt ægro pede tractauit, illicò ſanitatis compos fuit. A pedis dolore. Quidam alius Frater acerbis contra caſtitatem tentationibus impetitus & pœnè proſtratus, fune manibus Viri A tentatione contra caſtitatem.

Sancti

Sanćti defunćti contaćto ſe præcinxit,& illo puritatis cingulo libidinis humorem extinxit.

Ab oculorū morbo

P.Blaſius ſacri Prædicatorum Ordinis Religioſus exhauſtis pro medela oculorum humanis remedijs,ex puluere ſepulchro Viri Dei inhærente lutum fecit, eoquè oculos liniuit; & ſtatim potenti Franciſci Solani interceſſione humor defluus ſtetit, oculorum acies purgata & roborata eſt. Idem quoquè, iam in neceſſitatibus corporis opem eius expertus, in ſpirituali quadam anguſtia ad eum recurrit, & ſtatim conſolationem optatam impetrauit.

Ab oculorū malo.

P.Ludouicus à Guadalupe eiuſdem S. P. Dominici Ordinis Alumnus à quadriennio oculorum dolore ob continuos humorum defluxus laborabat, & vnius præſertim claritatem ex copia fluxionis amiſerat. Hic cùm ſacrum Franciſci Solani cadauer quodam roſario attigiſſet, in Conuentum reuerſus creſcere moleſtias ſenſit; ità vt oculos ad Matutinas horas legendo ſoluendas aperire non valeret, in illa anguſtia Virum Dei Franciſcum ſic allocutus eſt: *O Pater Franciſce Solane, ſi vis me de tua ſanćtitate (quam publica fama celebrat) omninò conuincere, fac tuis precibus; vt Deus ab hac infirmitate me ſanet.* Vix hæc cogitauerat, cùm palpebras mouit, motas aperuit, facilè legit, & ab ægritudine penitùs liber remanſit.

Soror Andrea de Ieſu Religioſa profeſſa Monaſterij Sanctæ Claræ, ab vno anno ſurditatem nullo

A ſurditate.

reme-

remedio ſanabilem contraxerat; quæ dùm Franciſci Solani auxilium humiliter implorauit, & eius meritis auditus beneficiū prò maiori Dei obſequio ſibi reſtitui petijt, deſiderij compos effecta eſt: nam cùm ipſius tunicæ particulam per biduum ad aures tuliſſet, hoc elapſo, repentè ſtrepitum aliquem & fragorem quaſi crepitaculi audiuit, & ſtatim perfectum auditiuæ potentiæ vſum accepit: quæ in tanti boni gratitudinem ſingulis noctibus bis *Salue Regina* in Sancti Patris Solani memoriam impoſterùm recitauit.

Soror Beatrix de Illeſcas Monaſterij Incarnationis profeſſa, acutum in fronte dolorem patiebatur, cuius continuis moleſtijs lecto detenta vt Viri Dei Solani celebrem didicit ſanctitatem, ei ſe deuotè commendans paruum eiuſdem tunicæ præſegmen aſſumpſit: Cuius virtute ipſamet nocte putridum ex ore abſceſſum euomuit, & ſubſecutam indè ſanitaté interceſſoris ſui meritis ſemper adſcripſit. Alia eiuſdem Conuentus Monialis Bernarda de Carauajal, cùm à coxendice vſquè ad medium cruris tàm intenſo cruciaretur dolore; vt quieſcere omninò non poſſet: Serui Dei Solani reliquiæ efficacia, optatam conſecuta eſt ſoſpitatem.

A frontis dolore.

A cruris moleſtia.

De

De pluribus pueris à morte ſuſcitatis, & à varijs infirmitatibus ſanatis. Cap. V.

Mortui ſuſcitati.

SEcundo poſt Viri Sancti fœlicem tranſitum die, puellula quædam graui infirmitate interijt; quã mœſti Parentes Patris Franciſci Solani meritis ſibi reddendam ſperantes, caputium eius ſuper defunctæ cadauer, cùm de ipſius funere ageretur, extenderunt. Et ecce poſteà illis ſacram reliquiam tollentibus, vt corpus pro ſepultura inuoluerent, ſubitò infantula lugere cœpit, & nouam interceſſoris tanti virtute adepta eſt vitam.

Puella ſuſcitatur.

In Ciuitate Truxilli, & domo depoſitarij generalis Gaſpari de Giles infantula biennis ex alto quinque contignationibus ſolario in impluuium lapidibus ſtratum decidit; & caſu tàm graui extemplò occubuit, & ſic miſerè enecata in altum cubiculum delata eſt. Aderat inter alios repentinæ mortis compatiens Catharina Gomez vidua, quæ reliquiam habitus Viri Dei Solani ad caput defunctæ confidenter admouit, & pro eiuſdem reſurrectione deprecata eſt. Exauditur ſubitò oratio mulieris, & hora iàm à caſu elapſa, puellæ animula in corpus, quaſi à ſomno excitatum (cunctis obſtupeſcentibus) reuerſa eſt; nec in ea vllum læſionis veſtigium remanſit.

Alia puella.

In Valle de la Naſca ſexcentis leucis à Ciuitate

Regum

Regum diſtante, puerum quendam Nicolaũ Ioannis Home, & Iſabellæ Rodriguez filium febre vehementi correptum, adeò mortales anguſtiæ repentè occupàrunt; vt pedibus, manibuſq; perſtrepens, indè crura quaſi poſt luctam mortis extendens, vultu immutatus, ac ſenſuum vſu per quadrantis ſpatium priuatus extiterit. Illum apprehenſum deſolatus Genitor, vt ex manifeſtis inditijs, omniumquè adſtantium iudicio expiraſſe non dubitauit, dolens & lugens lectulo depoſuit. Tuncquè recordatus Viri Sancti Solani & miraculorum eius, altè exclamare cœpit: *O Beate Pater Franciſce Solane, redde mihi viuum filium; & ego beneficij non ingratus, ad ſepulchrum tuum nouendiales ſtationes me acturum polliceor, tuquè ſemper mihi peculiari deuotione charus exiſtes.* Vix hæc vouerat, cùm puelluli oculos aperiri, & hinc indè ſuauiter verti, faciei colorem innouari, genas roſeo rubore perfundi, corpus extincto febris calore & ægritudine repulſa, ſanum vegetari cuncti circumſtantes non ſine ſtupore viderunt. Ite[m] puer

Petrus da Figueroa puellulus Iſabellæ de Torres filius, Anno 1614. per duos menſes acutis febribus agitatus, tandem quadam feria quinta ante auroram expirauit; vt certis experientijs, ſigniſquè compertum eſt. Huius Mater mœrore confecta exanime corpuſculum ad Cappellam Serui Dei Solani detulit, ibiq; cum lachrymis & ſingultibus feruentes pro Etiam puer.

filioli reſurrectione orationes effudit. Nocte ſuperueniente nondùm exaudita, & in fidei firmitate probanda, relicto in præfata Capella cadauere, domum reuertitur. Manè diei Veneris exorto, iterùm illuc ſe conferens filium adhuc exanguem & mortuum adinuenit: Renouatis propterea eiulatibus Miſſæ ibidem mox celebrandæ ſtipendium dedit. Itaquè dùm Sacrificium Deo in Serui ſui inuocationem offertur, & ad ſecundam hoſtiæ immaculatæ eleuationem peruenitur, puer lugere incipit, & mamillam ſugere: cum quo vitæ reddito Deum laudans, & iubilans Mater ad propria redijt. Ille autem ſibi reſtituta lucis vſura per multos poſteà annos potitus eſt.

Pueri varij ſanati. A febribus, & obſtructionibus

Puer ſeptennis filius Domini Ioannis de Ceſpedes, & Iſabellæ de Camargo à duobus annis febri quartana, & frequentibus obſtructionibus laborabat, quibus à trimeſtri febri tertiana duplici ſuperaddita, in manifeſtum vitæ diſcrimen Medicorum iudicio deuenerat. Deſperata ergò ipſius ſalute, cùm die quadam æſtus vehementia vltra ſolitum efferbuiſſet, afflicti Parentes illum ad S.P.Solani ſepulchrum detulère; vbi humiliter orantes, nouendiales, ſi ſaluus euaderet, ſe acturos excubias promiſerunt: moxq; infirmo quadam eiuſdem Viri Sancti reliquià appoſita, omnis ægritudinis labes abſceſſit.

A mortis faucibus.

Cùm puellulus quidam triennis ſeruæ Capitanei Petri de Azaña filius periculoſis fluxionibus ægrotaret,

taret, incauta Mater veſtimentis exutum in foſſa incili lauit: quem ſubitò frigoris rigor ità penetrauit, vt (cùm iam debilis eſſet) ſtatim deliquium cordis ſit paſſus; & ob mortis inditia, in oculis, dentibus, vultuq; patentia à præſentibus creditus eſt expiraſſe. Ad hæc deſolata Parens imprudentiæ ſuæ infantuli mortem adſcribens, veſtimenta ſcidit, capillos ſibi euellit, & totam domum mœſtis eiulatibus impleuit. Hera verò illius Hieronyma de Santander habitus Viri Sancti Solani præſegmen ſummis pueri labris admouit; ad cuius ſalubrem contactum illicò oculos aperuit, ora laxauit; & qui vix vſum loquelæ per ætatem habebat, laudes Creatoris cantu ſuaui deprompſit.

Ildephonſus de Vargas Ioannæ Ponciæ de Leon filius, à prima pueritia herniam inſanabilem ex fractione contraxit; cuius, cùm per vndecim annos vſquè ad decimum tertium ætatis crudeles toleraſſet moleſtias: Tandem Venerabilis Serui Dei meritis, & reliquiæ habitus eius ad partem læſam contactu, eadem nocte omnis tumor & durities læſionis ceſſauit. At cùm præ iubilo puer beneficium acceptum celare non poſſet, arguitur à Matre, & nè gratiam panderet, impeditur: ſed ecce, quòd vltor ingratitudinis Deus, adoleſcentulum recidiuo tumore ægrotare permiſit; quo flagello edocta Parens, veniam ſilentij petijt; & patrati miraculi famam ſe vulgaturam promiſit. Iterùm ergò exaudita reſtitu-

Ab hernia.

Beneficium tacens punitur.

Diuulgare promittens

exauditur. tæ ſanitatis bonum filio impetrauit, nec illud amplius diſſimulare præſumpſit.

A febri & thoracis dolore.

Iſabellæ Ortiz filia bimenſis à viginti diebus acerbo thoracis dolore cruciata, & interdùm acri febre exuſta, nihil iuuantibus remedijs, moritura credebatur. Quæ Patri Franciſco Solano commendata, poſt emiſſum à Matre votum de puella ad eius ſepulchrum deferenda, & Miſſæ ſacrificij in eius Capella celebrandi retribuendo ſtipendio, ſtatim ſuaui ſomno correpta integrè conualuit.

A varijs infirmitatibus.

Petrus de Mendoza puer quinquennis repentino & acuto dolore correptus, quo in rabiem agi videbatur, reliquiæ Viri Sancti virtute ſubitò ſanatus eſt. Infantula quædam Limana decem menſium ventris profluuio, & ſuperueniente periculoſo malo (quem Indigenæ vocant *del Valle*) in modum cancri ſerpente vltima mortis inditia dabat; cùm ex particulæ tunicæ Viri Sancti efficacia ſubitam ſoſpitatem recepit.

Itē à multis ægritudinibus:

Multos etiam alios morti proximos, & à Medicis derelictos pueros, Viri Dei merita à pluribus morbis eripuère. Nam puer biennis Ioannis de Herrera filius repentino caſu interijſſe iudicatus; filius Petri de Ribera, ab octoginta diebus febre, oppilatione, oſſium debilitate infirmus, & Medicorum ſententia inſanabilis: Indus quidam infantulus, ſtupore ſenſuum, & carcinomate ori impendente omninò incurabilis; puellula quædam Nigra

vitæ

vitæ deſperata: Agnetis de Ribera filiolus ventris profluuio, & febre grauiter impetitus; hi omnes tunicæ Viri Dei præſegminum ſalubri virtute, è mortis faucibus euaſerunt. Prætereà Baſilius puer vnius anni, ad Sancti Patris tumulũ à febris mortiferę violentiã eripitur: Nicolaus, ob ſanitatem à Viro Dei receptam dictus Solanus, nouem menſibus natus roſarij, quod Sancti Patris corporis contactus ſacrauerat, efficacia à læthalibus morbis conualuit. Ioannis Perez, & Annæ à Cruce biennis filiola deſperatam, ob febrem pertinacem, & igneos vibices corpore toto diffuſos, Viri Dei meritis in Miſſæ ſacrificio à Matre commendata, ſanitatem recuperauit: Filius Melchioris del Caſtillo, & puella triennis Antonij de Zuniga filia ad Sancti Viri ſepulchrum delati, & eius precibus humiliter crediti, malignæ febris mortales anguſtias prompta valetudine ſuperàrunt. Deniq; periculosè infirmus puer quidam in Oppido Truxillo ob abſceſſus grauitatem à Medicis deſperatus, ſtatim vt aquam ſtaminibus tunicæ Viri Sancti ſuperfuſam potauit, fœtidam corruptæ materiæ ſaniem è corpore reiecit, & mirabilem adeptus eſt ſanitatem.

De

De mulieribus à partus periculo liberatis; & de lumine duabus reſtituto. Cap.VI.

Mulieres à partus periculo liberatæ.

ELapſo non multo poſt Viri Sancti tranſitum tempore, Agnes de Vaſcones Petri Pinel vxor difficilis puerperij crudeles paſſa cruciatus, tentatis fruſtrà remedijs ad extremam mortis agoniam deueniſſe iudicata eſt. Quam vt deſperatæ ſalutis obſtetrix vidit, vltimum facere volens ſuæ artis experimentum, illam in aere ſuſpendendam dixit, ac proptereà duas ſibi in auxilium alias obſtetrices petiuit. Tunc anguſtiata mulier ſpiritualibus animæ munita ſubſidijs, aliud ſibi mitius pro corpore tentandum remedium duxit; ac proindè inuocato Viri Sancti Franciſci Solani, cuius vbiquè miracula vulgabantur, pręſidio (qua ſe olim ille pręcinxerat) chordam, ad ſtomachum ſibi confidenter admouit, & ſubitò abſq; labore, cunctis admirantibus, maſculum peperit. Quem deindè poſt duos, vel tres circiter annos, cùm febre, alijſquè variæ ægritudinis anguſtijs laborans à Medicis deſperatus fuiſſet, Mater ad Capellam Sancti Viri detulit, habitu Minoritico in eius deuotionem indui voluit, & Miſſæ celebrationem mandauit: in qua dùm filio, cui olim primam lucis impetrauerat gratiam, nunc ſanitatis reſtitui vſum oraret, voti compos effecta, Sancti Patris meritis incolumem domum reduxit.

Clara

Clara Eugenia Mathæi Muñez vxor cùm grauida eſſet, acerbum febris malignæ cruciatum perpeſſa eſt, cui nullis Medicorum remedijs proficiētibus, mors propero paſſu ob ſuperadditos puerperij dolores adeſſe putabatur. His in anguſtijs in Patre Solano ſpem collocans, tunicæ ipſius particulam aluo reuerenter ſibi iuſſit apponi; nec fruſtrà, nam citò peperit, & ab ægritudine ſana emerſit.

Dùm Frater Ioannes Rodriguez Conuentus Sācti Franciſci Oppidi Potoſi Ianitor exiſteret, quadam nocte circa vndecimam horam homo quidam ad oſtium feſtinanter pulſauit, Confeſsarium petens, qui vxoris eius in partus anguſtia periclitantis, & morti iam proximæ confeſſionem exciperet: Inſuper rogans, vt ſi quam Sancti Patris Solani reliquiam (quam olim in Tucumano nouerat, & pro Sancto reputabat) haberet, ſibi Ianitor in parturientis ſolamen commodaret. Dedit Oſtiarius panniculum, quo Dei Seruus olim vſus erat, eoq; monuit vxorem prægnantem præcingi: Reuerſus ille domum Fratris conſilium impleuit, & ſtatim vt coniux ſacri panni contactum ſenſit, fœtus; qui in ventre complicatus locum exitus non inueniebat, facili partu eductus eſt, ità vt mulier ſe nunquàm commodiùs peperiſſe teſtaretur. Mane ſequenti maritus ſucceſsum mirabilem Ianitori narratum iuit, à quo & particulam panni poſt multam inſtantiam impetrauit.

Ioanna

Ioanna Rodriguez grauida, ob piccationem intenſos per viginti quatuor horas abſquè leuamine perpeſſa cruciatus, ad Sancti Patris Solani auxilium confugit; cuius tunicæ præſegmen ventri admouit, ſubitò mortuum fœtum eiecit: Die ſequenti eiuſdē reliquiæ efficacia aliam exanimem prolem effudit. cùm verò intra triduū nimis incautè foras in agros exijſſet, altera die in Ciuitatem membris ſtupefacta, doloribus plena, & ferè ſenſibus deſtituta reportatur: cùmquè hac vice mortem euaſura non crederetur, ad potentem adiutorem ſuum recurrens, Miſſæ ſtipendium, & nouendij ſtationem promiſit. Nec moram faciens, ad ſepulchrum eius ſe deferri voluit, vbi ore ad humum defixo humilem pro ſanitate orationem direxit, ac ex adiacente tumulo terra caput aſperſit. Ad hæc reuertitur ſanitas; domum autem reuerſa parùm olei in Viri Sancti nomine auribus infudit, & citò perfectè audiuit, ac ità à cunctis infirmitatibus integrè liberata eſt.

Maria Salazar Ioannis de Gouantes vxor, Anno 1611. ad extremas vitę anguſtias partu infœlici deducta fuit; nam per octo dies continuis agitata doloribus, omnes obſtetricum curas & artes exhauſerat. Tunc deſolata puerperæ Mater funiculo Viri Sancti Solani eam deuotè præcinxit, quæ ſtatim mitigatis doloribus filiā peperit, & ſalua remanſit.

Domina Floriana à Sancta Cruce & Padilla acerbis partus doloribus, & vehementi febris vſtione

ad

ad mortis fauces attracta, nullo mulierum obſtetricantium, aut Medicorum remedio ſubleuatur. Tunc ab hominibus deſperata in Diuino cogitatum iactans auxilio, particulam habitus Venerabilis Dei Serui Solani deuotè contigit: cuius efficacia intra paucas horas mortuum fœtum ab aluo reiecit, & libera fuit.

Maria quædam ſerua Mariæ de Salas ob continuos humorum defluxus cæcitatem contraxit. In eius cura nullis Patrona (quæ ipſam vnicè diligebat) remedijs pepercerat; ſed in vanum, nam à duobus & vltrà menſibus omninò cæca remanſerat. Cùm autem illo tempore miraculorum P. Franciſci Solani fama ſpargeretur, ad eum ſe Hera conuertit: quæ adiacente ſepulchro ipſius puluere obtuſos ancillæ oculos de nocte impleuit. Collyrium, quod natura nociuum fuiſſet, Viri Sancti virtus efficax fecit; orto enim mane abſterſa caligine, & depoſito ſanguineo rubore, claram famulæ reſtitutam viſionem ſtupefacta inuenit. Cęca lumen recipit.

Catharina de Origo ex graui infirmitate lumen oculorum amiſit, cui cùm reſtituendo nulla Phyſicorum medicamenta ſufficerent; illa penitùs cæca cœleſtis Medici opem implorans, quadam nocte tunicæ Viri Dei fragmentum palpebris ſuperinduxit; cuius potenti virtute per totam noctem quidam ab oculis aqueus humor effluxit, & die exorto claritatem perfectam adepti ſunt. Item alia.

S De

Multi ab vlceribus, alijquè à ſanguinis fluxu, epilepſia, aſma, grauibuſquè morbis ſanantur. Cap. VII.

A tumore & vlceribus faucium liberatur.

FErdinandus del Poco copioſo ad linguam, & fauces fluxionum meatu tumorem acerbum, ac vlcera miſeranda contraxerat: quæ à decem & octo annis abſq; vllo remediorum lenimine paſſus, tandem vt aeris & climatis mutatione moleſtiam temperaret, ad Regnum de Chilo quingentis à Ciuitate Regum leucis diſtans tranſiuit. Ibi quinquennio abſq; medela tranſacto, iterùm Limam reuertitur, vbi renouatis medicaminibus nullam ſanitatis viam inuenit; immò à Medicis, vt ad iter æternitatis ſe accingeret, admonitus eſt. His in anguſtjs, audita miraculorum fama, quę quotidiè Diuina potentia media Franciſci Solani interceſſione operabatur, iſte de eiuſdem auxilio plurimùm confidere cœpit: quarè nouendiales in tumuli Serui Dei Capella preces iniuit. Cùmq; quotidiè eius meritis ſe gradum aliquem ſanitatis acquirere cognoſceret; in fidei feruore multam è ſepulchro terram ori immiſſam, circa gutturis & linguæ vlcera fricando & mouendo perduxit: Hoc aliquotiès repetens, abſq; alio medicamento, intra quindecim dies, tamdiù quæſitam inuenit ſanitatem.

A morſu ca-

Menciæ Dominici de Salazar ſeruę caninus morſus

ſus maiorem ſutæ partem àbſumpſit, cuius mox reſecata à Chirurgis proxima læſionis carne, ibidem læthale carcinoma excreuit. Derelictam à Medicis ſeruam, iamquè Extremæ-Vnctionis Sacramento pro agone muniendam Herus ſibi eripi dolens, crus cereum ad Viri Sancti Solani Capellam detulit, & Miſſæ illic celebrandæ ſtipendium largitus eſt. Poſt Sacrificium (cui deuotè interfuit) domum reuerſus, ancillam multò ſubleuatam reperit; quæ die ſequenti è lecto ſana ſurrexit, eiquè noua pro veteri carne, ab eo, qui olim carnem pro coſta appoſuit, reſtituta eſt.

nis periculoſo, & vulnere.

Petrus à Texada tumentes & vlceribus ſaucias à quadraginta diebus nares, quas nulla hominum ars ſanare poterat, Viri Sancti Solani auxilio curauit. Nam quadam nocte ex habitus eius præſegmine, binas in gyrum complicatas particulas in geminam narem induxit, & manè ſequenti ſe ſanum inuenit.

Ab vlceribus narium.

Ildephonſus Mexia Sacerdos in cruris dextri ſuta periculoſi & inflammati vlceris acutos patiebatur dolores, quibus reprimendis cùm medicinæ vis infirmior eſſet, ægrè licèt magno cruciatu Sancti Patris Solani ſepulchrum adiuit: vbi poſt deuotam orationem, in oleum lampadis coram ſacro corpore ardentis immerſo digito, vlcus facto ſigno Crucis liniuit, & ſtatim dolor abſceſſit, ſaniei fœtor & plagæ tumor, relicta ſolùm in ſignum miraculi cicatrice, euanuit.

A cruris plaga.

Item alij à varijs vlceribus.

Andreas de Hornillos Bibliopola cruris plagam humanis curis imperuiam tunicæ Serui Dei fragmenti contactu, & Ioannes Rubio ſimilem, eiuſdem interceſſione, ſanàrunt. Petrus de Ribera ſcholaſticus vlcus inſanabile ad carcinoma vergens, circa quod alia tria minora ſaniem copioſam manantia excreuerant, Viri Dei patrocinio ſuperauit; nam appoſita cruri eius ſagi particula, cùm poſt tres dies tibialia deponeret, decidit & reliquia, ſanum ab omni plagæ moleſtia relinquens.

A brachij plagis.

Ioanna de Villauicencio iamdiù quinque vlceribus in brachio dextro ſauciata, ea à Chirurgis ferro transfodi nunquàm ſinere voluit, ſed ſemper Sanctum Patrem Solanum pro ſalute deprecabatur. Interim à Religioſo quodam viſitata, linteum quo Serui Dei pectus fuerat fricando contactum, accepit; quod vbi ad brachium confidenter applicuit, ſtatim iam à quadraginta diebus immotum cœpit mouere, & ſe ad illam partem facilè reclinare: ac tandem poſt quinque dies erupit ſe ipſa vlcerum putrida ſanies, & ægra ſanitatem comparauit.

A febre & vlceribus.

Maria de Ribera filia Gaſparis de Ribera vltra violentas febris anguſtias, excreſcentes in manibus tumidas putredine plagas patiebatur. Quę cùm humanam operam fruſtrà ſibi videret impendi, Sancti Patris Solani tunicæ præſegmen collo in medelam appendit; nec decepta eſt, nam citò repulſæ ægritudini ſalus perfecta ſucceſſit.

Fran-

Franciſca Serrano de Eſpinoſa diuturno duorum menſium ſanguinis fluxu ad extremum vitæ halitũ deducta, ità vt nec ſacrum Viaticum recipere poſſe videretur; facto humiliter voto de ſepulchro Serui Dei viſitando, illicò ſanata eſt, & intra triduum è lecto conſurgens deuotè promiſſum impleuit. Anna de Villadiego emiſſa ſimili, & nouendialium ſtationum ſponſione, exaudita eſt: ſed ob non impletam, in ingratitudinis pœnam, iterùm eodem profluuio correpta; cùm renouaſſet votum, illicò & renouatam obtinuit ſoſpitatem. A ſanguinis fluxu.

Agnezia vndecim annorum puella, Didaci Hurtado filia à triennio frequentibus epilepſiæ concuſſionibus impetita, ſæpè in terram repentino caſu proijciebatur; vbi miſerabiliter agitata, ſpumam ex ore & quaſi ſcintillas ab oculis euomebat. Augebat miſeriam infirmæ, & Parentum mœrorẽ incurabilitas mali per omnia remedia tentati; etenim ſpes nulla medelæ affulſit, donec eius collo quædã habitus Franciſci Solani particula in modum bullulæ appenſa eſt. Tunc enim ſubitò, velut ignis glaciem diſſoluit; ſic pia Viri Dei interceſſio omnem infirmitatis pertinaciam vicit, atquè fugauit. Ab Epilepſia

Ioannes de Riberia Albañil prolixa ſeptennij àſma, quæ ipſum ſingulis nouilunijs ad vltimas reducebat anguſtias abſquè remedij ſpe miſerabiliter laborans: Tandẽ vt quam ab hominibus non poterat, à Deo impetraret ſanitatem; nouendium in Ab aſma.

Fran-

Franciſci Solani Capella, & Miſſæ ſtipendium vouit Prima ergò die, qua tumulum viſitauit, manifeſtè in meliùs mutatam agnouit valetudinem, ſicquè ſingulas proſecutus ſtationes, decreſcente quotidiè aſma, ſe ad finem impleti promiſſi penitùs incolumem vidit.

Ab vrinæ detentione. Petrus de Soto Præfecti Oppidi Guanici primus Miniſter, grauiſſimo vrinæ dolore in vitæ diſcrimen lapſus condidit Teſtamentum, Sacrâmenta nouiſſima ſumpſit; & cùm mori putaretur, habitus quo tumulandus operiretur, eſt quæſitus. Hic in tàm euidenti periculo, quædam tunicę Franciſci Solani pręſegmina ad dolentem ſibi partem applicari obtinuit; & ſtatim calculum emiſit, ſalutem adeptus, quam Medici attentis morbi circumſtantijs, miraculo tribuendam iudicàrunt.

A debilitate artuum. Iſabella de Angelis bimenſi manuum, pedumq; debilitate è lecto ſurgere, cibumquè ori admouere prohibebatur. Hæc incurabili chiragrę arthirectice morbo laborare à Medicis iudicata, à Viro Dei Solano ſanitatem humiliter petijt, quam quidem ex eius reliquia deuotè tractata promptè obtinuit.

A palpitatione cordis & tumore corporis. Maria Angola Nigra, ſerua Franciſci à Cueua miſerandam cordis tolerabat palpitationem; inſuper cruribus, & toto corpore intumuit. Tot malis nullo proficiente remedio, ad Deum, qui humilium preces non ſpernit, conuerſa; Viri Sancti Franciſci Solani interceſſione ſalutem poſtulauit, & ſagi ip-

ſius

ſius paruum præſegmen ſibi confidenter appoſuit. Magnam mulieris fidem illicò prompta à tumore, & cruciatu liberatio ſecuta eſt.

Hieronymus de Azeuedo Sacerdos longam triũ annorum quartanam, & interdum à triduo in triduum immedicabilem ſtomachi ſolitus pati dolorem; Patris Solani habitus reliquiam primùm ori & oculis, mox ſtomacho deuotè admouit. Extemplò ſomno correptus eſt, è quo poſt horam reuerſus, redditam ſibi ſanitatem cognouit, quam impoſterùm per multos annos morbi ſimiles non turbàrunt. *A ſtomachi dolore.*

Doctor Emanuel Lopez Carauantes Medicus, quam ſibi humanis artibus ſemel reſtituerat ſoſpitatem, recidiuo ſtomachi dolore rursùs amiſit: qui appoſita ad ſtomachum Patris Sancti tunicæ particula, eum quem viuentem tamdiù terrena virtute curauerat, pro compenſanda ſibi cœleſtis potentiæ viribus opera deprecabatur. Exaudiri meruit, nam tanti Protectoris meritis rediuiuus dolor abſceſſit. *Item alius.*

Anno 1624. Holandis nauibus mare Auſtrale infeſtantibus, inter alios Clemens miles in manus eorum incidit, qui graui ſtuporis ſenſuum infirmitate correptus; cùm tandem per tres dies, nec cibum, nec potum ſumere valuiſſet, ab Hæreticis expiraſſe creditus, in mare proijciendus deſtinabatur. Quod, vt Capitaneus Chriſtophorus Lopez de Robas eius concaptiuus audiuit, ſuſpendi proiectionem rogauit:

uit: moxquè è chorda Sancti P.. Solani ſibi olim à Marchione de Guadalcazar data fibram eruit, & ſigno Crucis pręmiſſo hanc in os infirmantis truſit. Qui ſtatim oculos aperuit, eſcam petijt, & die ſequenti cum magna Hæreticorum admiratione, è lectulo ſanus ſurrexit.

A grauibus infirmitatibus.

Catharina de Nao ægrotans à Medicis deſperata, Sacramentis munita, & morti proxima, aquam tunicæ Viri Dei fragmento infuſam potauit, & perfectè conualuit. Petronilla de Eſcouar & Azeuedo, emiſſo voto de ſepulchro Patris Solani viſitando, illicò ab vrgenti iecoris malo liberata eſt. Ioanna de Leon acuto coxendicis cruciatu vexata, cùm nec moueri, nec ſurgere, nec ſedere poſſet; applicatò ſibi habitus Viri Sancti præſegmine, repentè ſana exiluit. Ioanna de Valdes febrem duorum menſium & vltrà pertinacem, & abſceſſum in iecore perpeſſa, tandem à Phyſicis derelicta vltimum vitæ terminum expectabat; cùm ecce quòd ex deuotæ Viri Sancti imaginis ſuper faciem applicatione, leuamen ſenſit; & die ſequenti è lectulo ſana conſurgens, proprijs manibus culcitram aptauit.

A cordis palpitatione.

Maria Magdalena Mariæ de Miranda filia ab intenſiſſima cordis palpitatione ante Serui Dei tranſitum contracta, nonniſi earundem particularum efficacia poſt mortem ipſius potuit liberari. Ludouica de Mendoza Vxor Philippi Gutierrez de Toledo vehementi corporis ardore exagitata, & Maria

A corporis ardore.

de

de Campomanes annuo ventris profluuio laborans, huius ſalutaris contactus virtutem ſenſère. *A ventris profluuio.*

Capitaneus Thomas Guerrero à iecoris intenſa vexatione, ad frigidum agoniæ ſudorem perductus: Petronilla de Sarmiento à febre & vomitu periculoſo; Maria Valguer à pertinaci octodecim menſium ventris tumore, alijſquè cruciatibus: Floriana Nigra Criolla ab artuum debilitate, qua per quatuor menſes lectulo detinebatur; Ludouicus quidam à prolixo ſanguinis fluxu: Iſabella de Merodio à cruris cruciatu, à febris continuæ æſtu, & à ſanguinis profluuio; Catharina Gomez vidua, & Anna de Valuerde, à ſimili fluxu læthali: Hi omnes, pluresſquè alij ab ijs (quibus affligebantur malis) deuoto præfatorum præſegminum contactu ſalui & incolumes emerſerunt. *A iecoris dolore.* *Multi à varijs infirmitatibus.*

Sedantur ignis incendia, maris tempeſtas placatur, & alia diuerſi generis miracula Viri Dei meritis patrantur. Cap.VIII.

IN valle de Guarnbacho ſpatioſus eſt cannarum dulcium ſaccari feracium tractus, circa quem ad vnam & mediam circiter leucam ignis in quodam paruo nemore ſuccenſus eſt; qui ventorum impetu ad arundines iam aridas, & ſectioni maturas quaſi ad eſcam diſpoſitam delatus, magnam ſtragē edebat. Extinguendo impares erant humanæ vires, *Ignis incendium ſedat.*

immò & Eccleſiaſticæ preces ac exorciſmi, licèt aliàs efficaces; tunc Diuina ordinante prouidentia, nihil proderant: intereà namquè ſerpebat ignis, & totum abſumpturus erat; niſi Capitaneus Antonius Aluaredo duo Sancti Viri Solani tunicæ præſegmina, quæ fortè penes ſe habebat, Martino de Ortega Sacerdoti Parocho flammis opponenda dediſſet. Tunc enim ijs in ignem proiectis ſubitò torrens flammeus ſtetit, nec vltrà vel parùm progreſſus, paulatim in depopulata iam materia extinctus, reliquam, cui imminebat, intactam reliquit. Sic & poſt quinde-

Etiam aliud.

cim dies excitatum media nocte ex cuiuſdam inaduertentia, in alio dulci eiuſdem regionis arundineto vehementius & periculoſius incendium, memor recentis beneficij Parochus, tunicæ Viri Sancti obiecto fragmento repreſſit.

Franciſcus Beltran aliquandò ad ſuum cannariũ ſaccarinum in valle & diſtrictu de Santa ſitum acce-

Item aliud

dens, inhęrentem alteri dulcium quoq; arundinum tractui ignem, & deindè in alium ſylueſtrium tranſilientem inuenit. Qui cùm ob venti ſpirantis impulſum, & ob loci contiguitatem, rei ſuæ iacturam certam teneret, ſerico panno inuolutam habitus Sancti Viri Solani reliquiam cannæ ſylueſtris ramo appendit, dicens: *O Vir benedicte, alij in ignem reliquias proijciunt, ego verò non ità; ſed eas, vt ignem arceant, huic germini affigo*. Mirabilis profectò euentus fuit, nam cùm cannetum infructuoſum à dulci,

vix

vix ſemiulna diſtaret, ac vnius ad alterum folia cõplicarentur; ignis ad marginem hęſit, & dulces arundines, licèt aridas, non attigit. Indè etiam miraculi pondus acceſſit, quòd reliquiam & ſericum velum nulla læſione efferbuerit; dùm & lignum, cui appenſa fuerant, & quidquid ei circumſtabat combuſſit.

Aliquandò in Ciuitate Regum fortuitò candelæ incendio, quoddam Marianæ de la Vega habitaculum cum omni ſupellectile conflagrauit; arcula tamen lignea, in qua pretioſa mulieris indumenta, quamquè præ cęteris comburendam timebat, ignis furorem euaſit. Euentum admirati aſſiſtentes, arcam aperiunt, & primo aſpectu paruã tunicę Patris Solani reliquiam pretioſis pannis quaſi cuſtodem ſuperpoſitam inuenientes; rem miraculo, & huiuſmodi particulæ priuilegio adſcripſerunt. Similiter aliàs, licèt ſolidioris materiæ deuorato pabulo, delapſum fortè in ignem ſimile pręſegmen quaſi recens abſciſſum, & abſquè leui arſura repertum eſt.

Ab igne arcam eius reliquia pręſeruat.

Circa Annum 1617. cùm domus cuiuſdam in Ciuitate Truxillo vehementi incendio nocte conflagraret, ac tanta eſſet voracitas ignis; vt propter pabuli, cui inhærebat, ligni ſcilicet cannarum, atq; trabium ſiccitatem, nullo remedio humano pręſertim in tanta perturbatione, noctiſq; caliginę poſſet extingui. Franciſcus Fernandez cœleſte quærendum auxilium ratus, particulam habitus Viri San-

cti Solani in ignem proiecit; ſtatimq; ignis quaſi torrentis aquarum, aut lapidei muri obiectu coercitus ſtetit, & à proxima materia abſtinuit. Manè verò exorto, vt miraculi dignitas magis eluceret; ſacrum illud prięſegmen illęſum, & intactũ occurrit.

Lampas miraculosè accenditur.

Tandem, qui potuit ignem in aliorum bona graſſantem extinguere, voluit etiam extinctum in ſui honorem accendere. Semel enim lampas coram eius ſepulchro appenſa, à viro & fœmina ibidem orantibus & flamma deſtitutam dolentibus, ſubitò igne concepto, inuiſibili manu accendi viſa eſt.

A naufragio liberat

Omnia ſubſunt elementa Creatori; vndè qui Seruo ſuo Franciſco ſubiecerat incendia flammarum, ſubmiſit & aquarum procellas. Anno quippe 1610. è portu Limano ſoluit nauis Franciſci Liuij ad portum de Piſco perrectura: quæ cùm die prima Septembris ad veſperam, ad tractum Oppidi de Cañete viginti leucis à Lima diſtantis perueniſſet; adeò vehemens flatus ventorum exortus eſt, vt nauta nè ad terram impingeret, altum teneret. Inferueſcente æſtus tempeſtate agitata ratis circa vndecimam noctis horam, quæ vna eſt ante mediam noctem hora; confracta & diſſoluta fuit, ac in profundum abyſſi demerſa: Cuius vt naufragium euaderent, viginti & vnus nauigantium ſcapham ingreſſi, mari ſe commiſerunt. Creſcentes vndarum moles, nox tenebroſa, venti ſtridentes, & periculi timor, omnem miſeris ſpem ſalutis ademerant; in certa

ergò

ergò nauiculæ iactura Ioannes Rubio de Vargas, & alter è connauigantibus Sancti Patris Solani opem inuocandam conteſtantes, quas ex ipſius habitu ſecum deferebant, particulas in mare proiecerunt, & benè: nam ſtatim illo operante, cui fluctus & mare obediunt, facta eſt tranquillitas magna; & aura fœlici flante, ac ſtragula pro velis implente, ac ad portum de Surco, qui duabus leucis à Lima ſeiungitur, appulerunt.

Similiter alteri naui à Callai portu ad Aricanum ducentis leucis diſtantem pergenti orta eſt tàm horrenda tempeſtas, vt ventorum ſtridentium, & vndarum furentium motu longè reiecta, in plures diſſoluta ſit rimas, & tàm largum aquis aditum fecerit; vt extrahendis duplex hydraula non ſufficeret, & omnes nè ſuffocarentur, in altiorem puppim aſcenderent. Tunc, ſuadente Iſabella de Torres, Sancti Patris Solani præſidium humiliter inuocatū, & ſepulchri eius (poſt liberationem) viſitatio à nautis & viatoribus promiſſa eſt: Illa verò, quam gerebat, eiuſdem Serui Dei tunicæ particulam in vndas immiſit; quas vix pretioſus ille pannus intrauit, cùm ſubitò ventorum furor quieuit, tranquillitas redijt, & omnes fœlici appulſu ad portum de Callao deſcenderunt Secundos venti flatus Hiſpanæ Catholici Regis claſſis Serui Dei meritis impetratos, & à periculis ingruentibus liberationem, commodiùs alibi narraturus, hìc taceo.

Qui-

Quiteria de Tejada in Hiſpaniam ab Indijs reditura, Ioannam Duran, quam apud ſe tenebat, priùs collocare Matrimonio optauit: vndè cùm eam Antonio Perez Præfecti officiali coniungere vellet, iſte (cui alia ditior offerebatur) hanc pauperem, & indotatam accipere recuſauit. Ad eius repulſam non deſijt mulier, ſed ſimul cum præfata Ioanna nouendialem ad Viri Dei Solani ſepulchrum ſtationem egit, ipſi bonum negotij exitum deuotè commendans; quadam ergò die ad Veſperam, deſperato quaſi ſucceſſu, adoleſcentulæ ſuſpenſæ & dormitabundæ Religioſus quidam Franciſcanus apparuit, qui eam ad brachium compulſans, ait: *Nè mæſta ſis, filia; quoniam die craſtina, illi homini connubio iungeris*. Impletum eſt oraculum, nam altera die prædictus Antonius ad domum Quiteriæ acceſſit, Ioannã in vxorem petijt, & rationem ſubitę mutationis adduxit; quòd ſibi ipſa nocte in ſomnis adſtitiſſet Seruus Dei Franciſcus Solanùs, & ducendam in vxorem Ioannam poſtulaſſet. Tunc & ſuam hęc retulit viſionem, & vtraquè collata, cùm tantum haberent auctorem & ſponſorem, eadem die Matrimonium, iam in Cœlo decretum, in terra ſtatuerunt.

Apparet mulieri.

Cor cuiuſdã ad matrimonium diſponit.

Maria de Lao Damiani Mendez vxor, dùm in tumulo Viri Sancti terram oſculatura demittitur, ſoluta fortè zonula, aureos quoſdam cum ipſa amittit. Domum reuerſa, caſum aduertit, in Capellam quæſitura redit; ſed minimè inuenta pecunia, tan-

dem

dem occurrit homo dicens, ſe repertam tradidiſſe cuidam ignoto ſuam eſſe affirmanti. Ad hæc Seruum Dei mulier rogat, vt iacturam auertat; exauditur oratio ipſius, nam oſtium propriȩ habitationis intranti quidam adfuit, & dixit: *Ecce zonam, quam in Capella Sancti Solani ab alio accepi vt meam.* Pecuniã perditam reſtitui facit.

Martius Sancius Chirurgus, cùm adhuc viuentis Franciſci precibus fugitiuos ſeruos ad ſe aliquandò reductos vidiſſet: poſt eius mortem, quotiès eadem mancipia abire contingebat, totiès eorum reditum ipſi commendabat; & ſtatim motione, & impulſu viſibili reuertebantur.

Fiunt informationes generales ab Ordinarijs de vita, morte & miraculis P. Franciſci Solani; Literæ Apoſtolicæ pro ſpecialibus Limam mittuntur, & cum maxima ſolemnitate recipiuntur. Cap.IX.

QVoniam ad Hiſtoriæ perſpicuitatem pertinet, vt non ſolùm quid actum, ſed quãdò & quo tempore noteſiat; idcircò vt ordinem temporum ſequamur, poſt relata miracula Viri Sancti mortem immediatè ſubſecuta, relictis alijs inferiùs recenſendis, actæ ab Ordinarijs informationes, & inſtitutio cauſæ Beatificationis eius, vt ordine priores, ſunt enarrandæ.

Ipſo itaquè Anno 1610. & ſequentibus 1611. &

1612. ad inſtantiam Procuratorum, tàm Ciuitatis Regum, quàm Prouinciæ Limanæ Regularis Obſeruantiæ, factæ ſunt in Peruano Regno ab Archiepiſcopo Limano, & eius ſuffraganeis informationes ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus & miraculis Serui Dei Franciſci Solani; in quibus exceptæ fuerunt depoſitiones trecentorum & quatuor teſtium, quorum tantò auctoritas eſt maior, quòd inter eos ſunt quamplurimi dignitatibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus conſpicui, & multi religioſorum Ordinũ Alumni officijs, pietate, & doctrina excellentes, qui omnes vno ore Franciſcum Solanum Sanctum & mirabilem proclamant.

Informationes ab Ordinarijs de eius vita & ſanctitate.

Delatis ad Vrbem proceſſibus ab Archiepiſcopo Limano confectis, & Congregationi ſacrorum Rituum à Reuerendiſſimo Patre Benigno à Genua totius Ordinis Minorum Generali Miniſtro humiliter porrectis, ac ibidem maturè examinatis; eadem ſacra Congregatio cenſuit, ex probationibus contentis in dictis Proceſſibus plenè ſatisfactum fuiſſe generali Inquiſitioni per ſacros Canones requiſitæ; ideòq; poſſe, ſi Sanctiſſimo Patri ac Domino (tunc Vrbano Octauo) viſum fuerit, ad ſpecialem Inquiſitionem per nouas probationes deueniri. Cui decreto præfatus Summus Põtifex Vrbanus annuens, per commiſſionem manu ſua ſignatã cauſam huiuſmodi ad dictam ſacrorum Rituum Congregationem remiſit.

Informationes Romam tranſmittuntur.

In

In huius reſcripti executionem eadem ſacra Cõgregatio exhibitos à cauſæ Procuratore ſuper vita, virtutibus & miraculis Serui Dei articulos benignè recipiens literas remiſſoriales, & compulſoriales die prima Februarij Anni 1625. conceſſit pro Ciuitate ac Diœceſi Limana, directas Archiepiſcopo ipſius, duabuſq; alijs perſonis primis in ordine eiuſdem Eccleſiæ Metropolitanæ; ſeu quibuſuis alijs in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, per ipſum Archiepiſcopum eligendis,& prò vt illi viſum fuerit;etiam in locum electorum ſubrogandis: cum clauſula, vt omnes, vel duo ſaltem ex illis coniunctim ad literarum executionem procederent; facultate quoq;data non ſolùm inquirendi in præfata Ciuitate & Diœceſi Limana, verùm etiam extra illam in alijs Diœceſibus Eccleſiæ Romanæ obedientibus. Literę remiſſoriales Apoſtolicæ Limam mittuntur.

Interim autem, & ante literarum ſacræ Congregationis receptionem,mortuo Illuſtriſſimo D.Gondiſaluo de Campo Archiepiſcopo Limano, earum executio ad Decanum & Archidiaconum eiuſdem Eccleſiæ deuoluta eſt. Quamobrem præfati Domini Decanus & Archidiaconus à P.Ioanne Moreno Verdugo Peruanarum Prouinciarum Ordinis Minorum Commiſſario Generali, nomine Religionis huiuſmodi, ſuper literarum Apoſtolicarum acceptatione & executione requiſiti,eas ſe admiſſuros reſponderunt; & in ſignũ obedientiæ,& reuerentiæ oſculatas, & ſuiſmet capitibus impoſitas,modo iam

referendo recipiendas determinàrunt.

Solemnitas receptionis literarum Apoſtolicarum.

Die itaq; Sabbathi 26. Februarij Anni 1628. celebritas literarum Apoſtolicarum receptioni deſtinata inchoatur: hora namquè decima (quæ duabus meridiem præcedit) omnes Officiales, ſeù Lictores Iuſtitiæ cũ tympaniſtis & tibicinibus è Senatus Palatio communi, in plateas & vias Ciuitatis prodierunt; & voce Pręconis omnibus Ciuibus ſignificatum, vt nocte ſequenti luminaria tectis ac feneſtris appenderent, & omnia ſummæ lætitiæ argumenta propalarent. Placuit vltra modum deuotæ Ciuitati indictæ ſolemnitatis nuncium: cùmquè ad meridiem inſonuerunt Metropolitani Templi campanæ, & ad illarum nutum omnium quoq; Eccleſiarum tintinnabula ſuos addidere iubilationis concentus; hiſq; iucunda & omnis generis tympanorum ſe admiſcuère tripudia, omnium audientium animi mira dulcedine perfuſi ſunt. Hora poſt meridiem quarta, præcedentibus tibicinibus & tympaniſtis, Fiſcales Eccleſiaſtici, Notarij, & Sacerdotes ſæculares in mulis incedentes Præconis miniſterio omnibus incolis præceperunt; quatenùs ſub pœna excommunicationis maioris die ſequenti hora nona matutina in Eccleſiam principalem, literarum Apoſtolicarum publicationem audituri conuenirent.

Ad veſperam, ſiuè poſt ſalutationis Angelicæ ſignum, reſumpti fuère læti ſtrepitus campanarum, & hilares omnium (quibus ſe lętitia pandit) inſtrumen-

men-

mentorum clangores ; accenduntur ignes , quibus Eccleſiarum turres, tecta , faſtigia , domorumq; feneſtras ſplendore mirifico coruſcabant : pr ęſertim verò illis, quos è tormentario puluere ſolet ars humana in iucunditatis ſignum conficere . Miſſilibus huiuſmodi flammis Conuentus Sancti Franciſci ſuã mauifeſtauit lętitiam , dùm per auram nonaginta ſerpentes ignem ſulfureo puluere concepto ſpirantes, & ad nubium regionem lucis flammæ globulos attollentes, aut in gyrum ſpargentes ; Alumni ſui , & Fratris Franciſci Solani piam celebrabat memoriam .

Die ſequenti, nimirùm Dominica , in atrio Capituli Eccleſiaſtici pannis pretioſiſſimis inſtructo , paratum fuit Altare, & ipſi impoſita deuota Sancti Patris Noſtri Franciſci effigies ; in medio Altaris , & in argentea pelui erant literæ Apoſtolicæ panno ſerico, & aureo recenter inuolutæ : indè vſq; ad Eccleſiam arcus, floribus ornati, viam decorabant. Hora nona, totius Populi facto coucurſu,omnium tàm ſæcularium, quàm Regularium , Capituli, nec non Senatus ſolemnis ordinatur proceſſio , cui Dominus Magiſter Dominicus de Almeida Decanus pretioſo pluuiali indutus aderat . Hic vt ad Altare atrij peruenit, à R.P.Ioanne Verdugo Commiſſario Minorum literas Apoſtolicas accipiens , oſculoquè veneratus capiti ſuperpoſuit ; ſtatimq; in manus Doctoris Ferdinandi de Auendaño Parochi etiam plu-

uialè geſtantis, ad Eccleſiam deferendas remiſit: in reditu, *Te Deum laudamus* ſolemniter decantatum fuit, adiuuantibus humanam muſicam tubis, tympanis, fiſtulis, campanis, varijq; generis inſtrumentis quàmplurimis.

Ceremoniæ receptionis, & publicationis literarum.

Vt ad Eccleſiam Maiorem proceſſio deuenit, literæ remiſſoriales ſuper mẽſam tapete ſerico aureis tęniolis ſegmentato, conſtratam (ex qua Vrbani Pontificis effigiata gentilitia pendebant) & in argentea pelui repóſitæ fuère. Poſteà verò Miſſa de Spiritu Sancto, tribus choris muſicè concinentibus, & interdùm laudes Franciſci Solani perſonantibus, decantata fuit: ad ſacri myſterij Offertorium, dùm reſonantium inſtrumentorum clangores audiuntur, Licentiatus Ioannes Ramirez ceremoniarum Magiſter, literas præfatas ad Dominũ Decanum Miſſæ officium peragentẽ detulit; qui eas Licentiato Diacono Morales Notario publico, & Capituli Secretario tradidit. Quibus ille reuerenter acceptis ad pulpitum præparatum, & ſacra Viri Dei imagine à fronte decoratum deferens, in magno præſentis Populi ſilentio, ob rei nouitatem, reuerentiam, & Sancti Patris Solani amorem attentè audientis; eas alta, graui ac modeſta voce legit, & promulgauit. Inſuper & aliud Iudicum Apoſtolic[illegible]m Decretum publicauit, quo omnibus cuiuſcunquè ſtatus & conditionis ſub pœnis cenſurarum iubebatur; vt quidquid de vita, virtutibus, & miraculis Serui Dei compertum

pertum haberent, fideliter declararent. Poſt hæc relatis ad Altare literis, Miſſæq; miniſterio completo, cum vniuerſo omnium applauſu ac iubilo, cum etiam copioſa vini è fonte ante Conuentum S. Frãciſci erecto manantis largitione, cum deniq; taurorum ſpectaculo publicè inſtituto tantæ functionis ſolemnitas finem habuit maximè feſtiuum.

Poſtquàm autem Iudices Apoſtolici, Domini ſcilicet Decanus, & Archidiaconus officij ſibi commiſſi partes ſollicitè impleuiſſent; ecce quod die 14. Februarij Anni 1630. ad Ciuitatem Regum nouus eius Archiepiſcopus D. Ferdinãdus Arias de Vgarte aduenit, qui ſibi quoq; oblatas & ſignificatas eaſdem ſacræ Congregationis, & Apoſtolicæ Sedis literas reuerenter admiſit, & poſt præſtitum ſolitum iuramentum, earum executioni diligenter incubuit.

De miraculis ſtatim poſt literarum Apoſtolicarum publicationem, & ſanitatibus Viri Dei interceſſione operatis. Cap. X.

GRatam ſibi fuiſſe literarum Apoſtolicarum publicationem, & gratiſſimum etiam fore honorem amico ſuo Frãciſco Solano ſolemnis Canonizationis ritu deferendum, ſignis approbationis ſuæ magis authenticis, nempè miraculis, illicò Diuina Sapientia manifeſtauit. Cœpit namq; ex tunc

Miracula poſt publicationem literarum Apoſtolicarum facta.

Seruus

Seruus Dei crebrioribus inſignioris potentiæ operationibus coruſcare.

Ab hernia ſanat.

Lucas puer decennis, importunos hernici tumoris dolores à ſex annis patiebatur, quem Ioannes de Eſquederente eius Pater deſperatum à Medicis, vt Sancti Patris Solani opem requireret, hortabatur. Cùm ergò quadam die menſis Martij eiuſdem Anni 1628. intenſiori cruciatu vexatus bonum Parentis conſilium mente reuolueret, manè ad Conuentum Sancti Franciſci ſe contulit, & coram Viri Dei ſepulchro innocenter ac deuotè orauit; vbi cum feruentiores preces effunderet, iuxta ſe mulierem quãdam caput vlceribus magnis infectam vidit, quæ tumuli terra plagis impoſita, eaquè mox excuſſa, ſe ſanam omninò conteſtabatur. Fide illius animatus puer, eodem tumuli puluere tumorem hernioſum confidenter aſperſit, moxq; ſe penitùs liberum ſenſit. Domum lætanter regreſſus Parentibus miraculis ſeriem enarrauit, qui facta experientia, reuerà conſolidatam fractionem, & remiſſum turgiditatis exceſſum inuenerunt; à quo deinceps puer durabili potitus eſt ſanitate.

A fluxu ſanguinis, & alijs morbis.

Menſe Septembri eiuſdem Anni 1628. Martha de Eſpinoſa Franciſci Garciæ vxor grauida, fluxu ſanguinis vberi, crebro vomitu & læthalibus paroxiſmis impetita, in breui moritura à Medicis iudicata fuit. Iam Euchariſtiæ & Pœnitentiæ Sacramentis receptis, ad extremam parabatur Vnctionẽ;

cùm

cùm Pater Fr. Mathæus Perez Conuentus S. Franciſci Sacriſta ipſius miſertus, ait: *Quoniam à Medicis terrenis deſperata eſt, ego Medicum cæleſtem, qui eam nullo labore ſanabit, adducam.* Et reuerà delatam à Monaſterio digiti vnius Sancti Patris Solani Reliquiam, vt collo infirma (quæ interim ad ſepulchrum eius ſtationem, & cerei corporis oblationem vouebat) reuerenter appendit, illicò ſanguis, vomituſq; ſtetère, mortis ſymptomata ceſſârunt, aperti ſunt ægrotantis oculi, eaq; ſtatim adeò roborata eſt; vt cibum petierit, & porrectum auiculæ pectus quaſi omninò ſana libero dente còmederit, ac deglutierit. Illam, die ſequenti, Medici ad deſperatæ ſanitatis vſum reuerſam inuenientes, rei ſucceſſum manifeſto miraculo attribuerunt.

Initio Anni 1629. Maura quædam Theodora nomine ætate duodennis, ſerua Petronillæ de Eſcouar & Azeuedo febre tenaci corripitur, quæ tentatis fruſtrà medicinæ remedijs, in deteriùs vergens in ethiſin degenerauit. A Medicis igitur derelicta ſerua, ad ruralem domum ab Hera tranſmittebatur; quàmuis in vanum, cùm eadem die certiſſimè è viuis deceſſura crederetur: ibi tandem, quia nec cura miniſtrantium, nec aeris lociq; mutatio profuiſſent; ipſius Patrona nouendiales ad Sancti Patris Solani ſtationes ſuſcepit, & Miſſam ibidem celebrari procurauit. Vix inchoata deuotio, cùm ſeruulæ infirmitas remitti, vires augeri in tantùm viſæ fuère; vt A febre & ethiſi.

intra

intra aliquot dies, ſana omninò ad Ciuitatem remearit.

A febre & tumore. Eeodem Anno, menſe Nouembris Nigra quædam Paſchalis quinquennis puellula, Iſabellę de Argote ſerua febrem acutam perpeſſa, omnibus dextri lateris membris, capite, brachio, & crure intumuit, & inſenſibili læthargia obriguit. Hanc eiuſdem partis coxendices contortæ, & crus coarctatum claudā; brachium tumidum mancam, turgens facies deformem effecit: Cùmq; per viginti dies tàm lugendæ ægritudinis ſtatus nulla remediorum applicatione mutaretur in melius, Hera ſecum infirmam ad Ecclesiam S. Franciſci deferri iubet; & admotam ſepulchro, in quo anteà Vir Dei iacuerat, ipſi humiliter commendauit. Poſt feruentem orationem, oleo lampadum ibidem ardentium omnes ſeruulę partes offenſas liniuit, ſperans ſalutarem futuram Serui Dei meritis vnctionem: nec profectò decepta eſt; nam puella domum indè relata, manè ſequenti ſana & incolumis è lectulo ſurrexit.

A partuspurgationibus. Eodem menſe & anno Mariana de Palacios Antonij Xamarillo vxor intempeſtiuo partu fœtum valdè exiguum genuit; & cùm magnam ſanguinis copiam effunderet, à ſecundinis purgari non potuit. Deſperantibus ergò de ſanitate Medicis, ipſa nō deſperat; nā S. P. Solani opem implorans, duo oſſis ipſius fruſtula per os deglutijt, ſtatimquè duplici paroxyſmo ſecūdas eiecit, ſanguinē ſinit, & ipſa cōualuit.

Maria

Maria puellula trimeſtris Didaci Cauſini ſerua, menſe Decembri eiuſdem Anni 1629. graui infirmitate, quam vocant de oculo, ideſt corrupta viſualium ſpirituum,ex inſpiciētis ſe oculi prodeuntium emiſſione infecta, ſiuè ſauciata ad extremam vitæ deducta eſt horam: Hanc ſic deſperatam,& omnia mortis imminentis ſigna, in vultu, lingua, & toto corpore præferentem Herus & Hera ad Capellam Viri Dei detulerunt. Vix Miſſa, quam propterea celebrari mandauerant, terminata fuit; cùm infantula in ſe reuerſa, domum reportata, intra quadrantis horæ interuallum, mamillam, quam ab octo diebus non apprehenderat, ſugere cœpit. Contigit autem,vt etiam puellulus quidam ſemeſter prǽfati Didaci ſeruus eadem die, ſimiliquè morbo ægrotauerit; qui tamen cùm periculum vitæ non videretur incurriſſe, humanis ſolùm eſt curatus remedijs, nec Sancti Patris interceſſioni commendatus. Ex quo factum eſt, vt mortem puella euaſerit, & iſte vitam amiſerit. A graui infirmitate.

Ioannes Viaſara villicus & ſeruus Ioannę de Lugo & Torrez viduæ ob moleſtam ſtomachi reſolutionem, copioſum ſanguinem expuebat; ac tandem malum, quod vocant *del Valle*, contraxit. Hoc velut cancro interiùs ſerpente præcordia exoſa, cùm ſanguinem, iecur, & pulmones per fruſtula expuendo paulatim eijcere; à Medicis derelictus, omnium Sacramentorum,etiam Extremæ-Vnctionis partici- A reſolutione ſtomachi, & à mortis faucibus.

 patio-

intra aliquot dies, ſana omninò ad Ciuitatem remearit.

A febre & tumore.

Eodem Anno, menſe Nouembris Nigra quædam Paſchalis quinquennis puellula, Iſabellę de Argote ſerua febrem acutam perpeſſa, omnibus dextri lateris membris, capite, brachio, & crure intumuit, & inſenſibili læthargia obriguit. Hanc eiuſdem partis coxendices contortæ, & crus coarctatum claudā; brachium tumidum mancam, turgens facies deformem effecit: Cùmq; per viginti dies tàm lugendæ ægritudinis ſtatus nulla remediorum applicatione mutaretur in melius, Hera ſecum infirmam ad Eccleſiam S. Franciſci deferri iubet; & admotam ſepulchro, in quo anteà Vir Dei iacuerat, ipſi humiliter commendauit. Poſt feruentem orationem, oleo lampadum ibidem ardentium omnes ſeruulę partes offenſas liniuit, ſperans ſalutarem futuram Serui Dei meritis vnctionem: nec profectò decepta eſt; nam puella domum indè relata, manè ſequenti ſana & incolumis è lectulo ſurrexit.

A partus purgationibus.

Eodem menſe & anno Mariana de Palacios Antonij Xamarillo vxor intempeſtiuo partu fœtum valdè exiguum genuit; & cùm magnam ſanguinis copiam effunderet, à ſecundinis purgari non potuit. Deſperantibus ergò de ſanitate Medicis, ipſa nõ deſperat; nã S. P. Solani opem implorans, duo oſſis ipſius fruſtula per os deglutijt, ſtatimquè duplici paroxyſmo ſecũdas eiecit, ſanguinẽ ſinit, & ipſa cõualuit.

Maria

Maria puellula trimeſtris Didaci Cauſini ſerua, menſe Decembri eiuſdem Anni 1629. graui infirmitate, quam vocant de oculo, ideſt corrupta viſualium ſpirituum,ex inſpiciẽtis ſe oculi prodeuntium emiſſione infecta, ſiuè ſauciata ad extremam vitæ deducta eſt horam: Hanc ſic deſperatam,& omnia mortis imminentis ſigna, in vultu, lingua, & toto corpore præferentem Herus & Hera ad Capellam Viri Dei detulerunt. Vix Miſſa, quam propterea celebrari mandauerant, terminata fuit; cùm infantula in ſe reuerſa, domum reportata, intra quadrantis horæ interuallum, mamillam, quam ab octo diebus non apprehenderat, ſugere cœpit. Contigit autem,vt etiam puellulus quidam ſemeſter pręfati Didaci ſeruus eadem die, ſimiliquè morbo ægrotauerit; qui tamen cùm periculum vitæ non videretur incurriſſe, humanis ſolùm eſt curatus remedijs, nec Sancti Patris interceſſioni commendatus. Ex quo factum eſt, vt mortem puella euaſerit, & iſte vitam amiſerit.

A graui infirmitate.

Joannes Viaſara villicus & ſeruus Ioannę de Lugo & Torrez viduæ ob moleſtam ſtomachi reſolutionem, copioſum ſanguinem expuebat; ac tandem malum, quod vocant *del Valle*, contraxit. Hoc velut cancro interiùs ſerpente præcordia exoſa, cùm ſanguinem, iecur, & pulmones per fruſtula expuendo paulatim eijcere; à Medicis derelictùs, omnium Sacramentorum,etiam Extremæ-Vnctionis partici-

A reſolutione ſtomachi, & à mortis faucibus.

patione ad vltimum certamen accinctus eſt. Quadã autem feria tertia, manè conuenientibus Medicis, eadem die certiſſimè deceſſurus iudicatur. Quo audito, Patrona de vnius diei ieiunio, de Sancti Patris Solani viſitanda Capella, & de Miſſæ largienda retributione votum emiſit; ac Iſabellæ de Lugo filiæ ſuæ, vt reliquiam habitus Viri Dei apponeret infirmo, & ieiunij vnius obſeruationem promitteret, indicauit. Illa verò, appoſito ſacro præſegmine, adiecit; ſe Patris Solani quam fama vulgabat ſanctitatem, non credituram, niſi hunc ab ægritudine liberaret: Mater itaquè ad lectulum propiùs accedens, cùm iam preces commendatitiæ, & cereus ſacer ad morientem fuiſſet aptatus; vt vidit tria mantilia ſanguine & putredine ex ore infirmi reiectis madentia, aliud candidum ad labra eius extendere voluit: quo facto ex alio lectuli latere Sanctum Patrem Solanũ, ſibi quaſi aſſiſtentem animaduertit. Stupefacta viſione mulier, ipſum attentè conſideratum, verè quis eſſet, agnouit; eumq; nouo habitu indutum, manus niueas, vultumq; præferre gratiſſimum obſeruauit: internę lętitię iubilo plena, omnẽ dubitationis ſcrupulum ex ſucceſſu fugauit; nam eadem hora, infirmus reſumptis viribus cibum petijt, quo conſumpto è lectulo ſurgere voluit. Cùm verò à circumſtantibus prohiberetur, ſe omninò ſanum & incolumem affirmabat, ſicut & reuerà ex tunc omnis infirmitatis ab eo labes receſſerat: Hera autem adducto ad

Apparet Vir Sanctus.

Viri

Viri Sancti Capellam ſeruo, votum quod promiſe-
rat, fideliter exoluit.

Apparitione, imaginis præſentia, inuocatione, & reliquiarum Viri Dei contactu multi ſanantur. Cap.XI.

MEnſe Octobri Anni 1630. Iſabella de Mexia Ildephonſi de Caſtro Regalis audientiæ Limanæ Procuratoris vxor, importunis vlceribus gutture ſaucia cibum niſi ægrè ſumere non valebat; acceſſit vehemens auris dolor in totum caput redũdans; inſuper & copioſum ab ore,& naribus ſanguinem ſæpè eijciebat: quibus malis inutili omni Medicorum remedio ſalus deſperata pronunciatur. Dũ ergò circa mediam noctem in maxima dolorum anguſtia verſaretur, oculos animæ ad Sanctum Virum Solanum erexit: Cùmq; eſſet mentis & vigiliç compos, nec vlli in cubiculum poſtibus obſeratum, & lucerna illuminatum pateret ingreſſus; duos Frarres Minores ad ſe intrantes conſpexit, quorum vnus Venerabili Seruo Dei Solano ſimilis ſupra lectulum ſedit, & extenta ſuauiter manu, digitos in eius aurem immiſit, moxq; ambo iterùm receſſerunt. Ad hæc infirma mulier alta voce exclamans, maritum dormientem excitauit, & viſionis ſeriem narrauit: ſtatim autem remiſſa cruciatuum anguſtia, ſomno, qui per octo dies receſſerat ab oculis eius, correpta

Apparet Vir Dei, & mulierẽ ſanat.

eſt. Manè verò facto, maritus ad Capellam Viri Sancti ſe contulit, Miſſam ibidem celebrari curauit; ac tandem oleum, ex lampadibus illìc ardentibus acceptum, domum tranſmiſit: quo guttur & aures infirmæ tàm fœlici ſucceſſu fuère perunctæ; vt ſubitò plenam acquiſierit ſanitatem. Similiter & Ioannæ Ortega Valencia in Villa de Carrion habitanti, infirmæ, & à Medicis deſperatæ Vir Sanctus auxilium petenti apparuit, dicens: *Quid à me petis?* cui illa; *Salutem, mi Sancte*: His dictis diſparuit, & mulier ſanitatem eius beneficio recepit.

Mulier quædam nobilis, pia & fide digna, febri maligna, ſenſuumq; ſtupefactione adeò repentina correpta eſt; vt Sacramentis receptis, ne quidem Teſtamenti condendi tempus ſupereſſe videretur. Hæc circa mediam noctem, remiſſa parumper mali violentia, ac pleno ſibi iudicij vſu relicto, ad imaginē Sancti Viri Solani (quā in cubiculo lucerna illuminato ad lectuli proſpectum tenebat) affectuosè conuerſa, eius faciem quaſi ſanguine rubentem vidit, vocemq; ab ea prodeuntem ſibi dicentem audiuit: *Iam ſententia tua reuocata eſt.* Ad hæc verba conſolatione repleta mulier, quaſi cœleſtis Patriæ dulcedinem prælibaſſet, Pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes* deuotè intonuit; cui ſtatim concordans muſica ſuauis quarundam auicularum, diùq; perſeuerans duas famulas infra lectulum infirmę decumbentes excitauit. Quibus & ipſa ait: *Scitis quòd ab hac*

Imago Viri Dei infirmā alloquitur, & ſanat.

hac ægretidine non ſum moritura? Et reuerà euentus veritatem aſſertionis probauit, nam deinceps perfectè conualuit.

Puellula Franciſca Ildephonſi Garciæ Flores, & Ludouicæ de Mingolla filia, quaſi ex paralytico morbo occupata oris ſitum deformem & contortũ, pedes manuſq; motu violento plerùmque concuſſos nullis hominum remedijs ſanantibus, à cœleſti Medico ſoſpites & tranquillos recepit. Cùm enim quadam die de ſero ſalubrem Sancti Patris Solani imaginem Mater capiti eius appoſuiſſet, media nocte vbera, quæ à tribus diebus non apprehenderat, ſuxit: Manè verò, reuerſo in naturalem figuram ore, in miraculi euidens argumẽtum ſuper infirmæ verticem ſignum Crucis quaſi deauratum, & valdè decorum apparuit. Quo citò diſparente puellulæ etiam miraculoſa ſanitas in breui innotuit.

A paralyſi.

Mariana de Ineſtroſa grauẽs à duobus menſibus fluxionum in ſiniſtrum crus decidentium tolerabat cruciatus, quarum violentia captis à coxendice vſq; ad pedem articulis; nec ſtare, nec ſedere, nec in lectulo poterat moueri, lachrymoſiſq; gemitibus omnium in ſe commiſerationem trahebat. Artis medicæ curæ & remedia, nè quidem malum non minuere, ſed & augere videbantur; ſic igitur humana virtute immedicabilis mulier, oſſis Viri Sancti Solani reliquiam inuocato eius auxilio, & nouendiali ſtatione ad ipſius ſepulchrum promiſſa,

A fluxionibus ſanat.

par-

partibus læſis reuerenter admouit: cuius quidem efficaci contactu ſenſit cruris & lateris neruos, compageſq; reſolui, ac repentè nunquàm reuertibilis fluxionis curſum ceſſaſſe.

Ab auris dolore.

Catharina de Quiroga decem & octo annorum adoleſcentula, vehementi auris cruciatu indeſinenter afflicta nullis remedijs ſubleuata, à Medicis derelicta, Sancti Patris Solani opem implorat, Miſſæ ad ſepulchrum eius celebrandæ ſtipendium, & capillorum ſuorum manipulum appendendum promittit: votoq; ipſius nomine, à Ioanna de Eſcouar manè ſequenti perſoluto, ſtatim ab infirmitate conualuit; cibum (quem anteà non poterat) ſumpſit, & deinceps in valetudine perfecta confirmata fuit. Sic & iuuenis ſcholaſticus contractam ſurditatem, olei lampadum eiuſdem Serui Dei vnctione ſuperauit.

A ſurditate.

A varijs morbis.

Maurula quędam Antonia nomine, crebris febriũ moleſtijs, vomitù importuno afflicta, hæmorroidum morbo (*del Valle* ab Indigenis nominato) interiùs corroſa; præcordijs ſauciatis, inteſtinis emergentibus miſeriæ humanæ ſpectaculum, & tanquàm prodigium facta cernentibus, dum ab hominibus deſperata nouiſſimæ exitum horæ expectaret: ab Hera meritis Serui Dei Solani commendatur, ad Capellam eius defertur, & in facie quadam ipſius reliquia confidenter tangitur. Efficax fuit oratio deprecantis, nam abſq; alio remedio ad ſe reuerſa infirma oculos aperuit, panis fruſtulum antequàm

domum

domum referretur comedit, & paulatim ſanitatem acquiſiuit: ipſa verò eiuſdẽ Patrona Clara de Montoijos beneficij non ingrata, linteum quod puellulæ tumulandæ parauerat, in ſempiternum trophæum Viri Sancti Sacello appendit.

Hieronyma de Vanauides lactis, quo puellulum alebat, manantiam præ diurnæ febris violentia deficientem & tabeſcentem; facta in Viri Dei Sacello oratione, plenam & trium infantium lactationi ſufficientem recepit. **Lac mulieri dat.**

P. Hieronymus Ildephonſus à Torre, febre acuta, & doloribus in humida habitatione contractis vehementer cruciatus, ad Conuentum Sancti Franciſci de Piſco perueniens, à Valetudinarij Præfecto cingulum ſeù funem, quo ſe olim Vir Dei Solanus præcinxerat, & qui plurimorum operantis miraculorum dicebatur, accepit; quem reuerenter dolentibus membris admotum, ſalubrem expertus eſt: nam vix elapſo horæ quadrante refrigerans ſudor aduenìens, omnem ei febris calorem, ac dolorum anxietatem ademit. Hic etiam in breui Limam, Deo & Sancto Patri Franciſco Solano gratias acturus ſe contulit; vbi qui remanſerat in quadam parte tumorem oleo lampadum eius inungens, ſtatim reſolui & minui ſenſit. **A febre, & doloribus.**

Anno 1631. Maria de Torres vidua mulierem vicinam ſuam, pauperem & infirmam à febri curatura in domum ſuam traduxit, cuius ſalute à Medicis **Loquelã ad confitendum infirmę reddit.**

diſ & ſanitatem. dicis deſperata, oculis viſu priuatis, cercidibus brachiorum apertis; & quod peius erat, ea in tot ingruentis interitus ſignis, recipiendorum Sacramentorum incapace, Sancti Viri Solani auxilium pro confitendi libera facultate moribundæ obtinenda implorauit: ac propterea iuxta illam, ſacram Serui Dei imaginem inter duo lumina collocatam erexit. Deus verò, qui dat omnibus affluenter, qui ſupplicum merita excedit & vota, Serui ſui interceſſione, liberam confeſſioni linguam & mentem, ac bonam deindè corporis valetudinem ægrotanti conceſſit.

A buccella guttur ſuffocãte liberat. Die Dominica, prima verò Iulij Anni 1640. Doctor Ildephonſus Oſſorio Eccleſiæ Cathedralis Limanæ Parochus, dùm circa meridiem menſæ accubuiſſet, primam (quam deglutire tentat) carnis buccellam, profundo faucium meatui hærere ſenſit. Adfuère Chirurgi artis experimentum facturi, ſed fruſtrà: ſubtilis candela cerea pluſquàm palmaris in guttur intruditur, eaq; confracta altera rursùs immittitur; ſed licèt hæc moleſtior cura, non tamen alijs ſalubrior euaſit. Interim creſcebant patientis anguſtiæ, qui ſuffocari proximus aquam petijt faucibus infundedam: verùm nec illa exitum inueniente, parum fuit, quin expiraret; intumuit facies, & denigrata eſt, oculi quaſi ſcintillas igneas emittebant, guttur velut ad præfocandum compreſſum turgebat. In tam euidenti periculo affulſit miſero ſpes cœleſtis auxilij, dùm Sanctum Patrem Solanum

num ſibi chariſſimum (pro eius quippè Canonizationis ſumptibus, largam ſingulis annis eleemoſynam offerre ſolebat)animo recogitauit: illicò namquè reliquiam oſſis illius confidenter ad guttur admouit, & in feruore fidei, ait: *Pater mi, ſi Sanctus es (vt ego credo) & amicus meus; pete à Deo liberationem meam*. Vix vltimum emiſerat oratiunculæ verbum, cùm ſtatim buccella in ſtomachum decidit,quę licèt fauces ipſius ſauciaſſet, & copioſum poſteà ſanguinem euomere coegiſſet; ille tamen omninò ſanus iterùm diſcubuit, liberè comedit, & eadem die Paroeci munia reſumpturus, cum omnium admiratione ad Eccleſiam rediuit.

Ipſa etiam Viri Dei inuocatio ſeruandis fortunæ bonis, & à periculorum ingruentium iactura liberãdis aptiſſima fuit. Anno quippè 1632. ſupranominato Doctore Ildephonſo Oſſorio, & germano ipſius Ioanne collem *del Chorillo* duarum leucarum faſtigio arduum aſcendentibus, contigit; quòd viginti mulæ in altum pergentes aliàs à Xauxa veniẽtes,ſuibus Indorum inopum oneratas,in vallem deſcendentes obuias habuerunt. Erat vtrinq; via difficilis, arcta, & lubrica; quarè illis ſibi inuicem obſtantibus, vna præcipiti caſu in profundum per ſaxa & crepidines volutari cœpit: ineuitabilis videbatur iactura, niſi prædicti Oſſorij, Indis compatientes afflictis, opem Patris Franciſci Solani inuocaſſent. Adfuit enim ob meritum eius Diuina protectio, &

Mulam in caſu periculoſo mirabiliter conſeruat.

 iumen-

iumentum, quod (vt alijs ſemper euenire ſolebat) in ipſa decliuitatis volutatione concidendum erat & vita priuandum : at inuiſibili manu protectum, per tot ſpatia à crepidine in crepidinem, à rupe in rupem ad infimã planitiem ſanũ peruenit; vbi herbam depauit, & nec onere dimiſſo, nec fune vel reſti diſcerpto, cum alijs (quæ paulatim ad planum deſcenderant) iter eſt proſecutum. Mirantibus verò Indis, & miraculi cauſam ignorantibus, Viri illi prodigiũ hoc in ſanctitatis eximiæ Apoſtoli Peruani Franciſci Solani teſtimonium diuinitùs operatũ dixerunt, eoſq; ad ſinceram erga tàm beneuolum interceſſorem confidentiam inuitàrunt. Sic & aliquandò habitus Serui Dei reliquiæ efficacia ingruentes ſpicis triticeis ferè meſſi maturis, grandinis nubes, ad piã Ioannis de Quiros vallis Xauxæ Gubernatoris orationem, aliò manifeſtè auerſæ, agrum à vaſtatione imminente liberum reliquerunt.

Plures à morte pueri ſuſcitantur. Cap. XII.

Mortui ſuſcitati.

DIe ſexta Aprilis Anni 1631. Franciſcus decẽ menſium puellulus (quem parùm anteà Parentes Sancto Patri Solano obtulerant) ex nutricis inaduertentia, in foſſam aquarum, tres piſtrini Ludouici de Mendoza molas voluentem decidit; ſic autem ſubmerſus primò per aquæductus domorum, indè in receptaculum aquarum Ciuitatis (ex quo

Puerulum aquis ſuffocatum ſuſcitat.

hæ

hæ periculosè dimanant) per ſubterraneos meatus totam inquiſitionis viam ad Diſcalceatas Moniales ducentem volutatus tranſiuit:Hinc ad molendinum venit, quod cùm occaſione diei feſti non moleret,ab aqua per altum aggerem prorumpente puer in aduerſum murum impetu magno proijcitur; ſicq; per acutas ſaxorum & crepidinum moles, & per varios ferè ſemimilliarij amfractus tandem ad radices Monaſterij Immaculatæ Conceptionis defertur. Quem Maura quædam fortè conſpectum pede apprehendit, & vultu nigredine mortis ſuffuſum, lingua rigentem, mandibulis tabeſcentem, brachijs & membrorum compagine ſolutũ, capite inclinatum; aqua ſanguine mixta ore, & naribus manantem, ad Catharinam de Leon in vlnas detulit. Hæc autem ſtatim vt pueri caſum didicerat, Sancti Patris Solani merita inuocare non deſtiterat; iamq; ſibi allatum, etſi omnium iudicio defunctum,eiuſdem auxilio affectuosè commendauit. Tàm efficax fuit mulieris in orando perſeuerantia, vt infra ſemihoram puerum vitæ redditum viderit, quem & die ſequenti ad Capellam Viri Dei pro gratiarum actione perductũ, P.Fr.Didacus de Corduba in ſinum accipiens, omnibus Fratribus videndum, & abſq; vllo recentis caſus inditio admirandum exhibuit.

Eadem Viri Dei Franciſci interceſſione Lucretię de Eſpinoſa ferè biẽnis filius, qui cùm Anno 1634. die verò Maij quarto, iuxta molendinum de paſtra- *Item alium.*

na puerilibus ludis intenderet, in profundam illius foſſam inciderat, & aquarum motu violento in ſaxa prægrandia proiectus fuerat; à mulieribus ibidem pannos lauantibus pede extractus, euomita (quam hauſerat) aqua, reuerſis (qui tabuerant) ſenſibus; mutato in meliùs (quæ nigrorem contraxerat) carnis colore, à morte ad vitam reuerſus eſt.

Puer rumetiā alium.

Anno inſuper à partu Virginis 1639. Ioſeph puer anniculus Franciſci Garciæ & Catharinę Martinez filius, cùm in menſa à ſolo vltra vlnam & mediam eleuata repoſitu ſederet, decidit, & capite in terram impulſu tàm vehementi impegit; vt ſtatim vberem ab oculis & naribus cruorem effundens, ſenſum, motum, halitumq; amiſerit, & mortali pallore ſuffuſus interierit. Sic per integram horam corpus emortuum, Parentes irreparabili iactura afflicti luxerunt; donec Franciſcus Garcia recordatus imaginis Sancti Patris Solani, quam in cubiculo appenſam tenebat, eam capiti defuncti confidenter impoſuit: ſtatimq; meritis Serui Dei animam corpus, & puellulus nouam vitam recepit.

Imago Serui Dei mortuum ſuſcitat.

Eodem anno Maria Mingolla, Martini Godinez Ternero vxor Petrum filiolũ peperit, qui quoniam præmaturo partu editus, deficiens & infirmus erat. Hunc autem ſeptima ab ortu die repentina ægritudo inuaſit, cuius violentia occubuit: nam à Parente inter brachia receptus nigredine mortis contracta, halitu deficiente, & repetito languẽtis oris hiatu

vitam

vitam terminauerat. Tunc mœſtus quidem de filioli morte Genitor, ſed de Sancti Patris Solani auxilio confiſus, ac puerum eius meritis ſibi reddendũ ſperans, plangentis familiæ lachrymas prohibuit: nec deceptus fuit, nam appoſitæ ad mortui caput Serui Dei venerandæ imaginis virtute puellulum intra ſemihoram ſuſcitatum, & immutato læthi pallore roſeum vitæ colorem ſucceſſiſſe conſpexit.

Ipſomet Anno 1639. die verò octaua Nouembris Beatrix de Monroi puella quinquennis, Antonij Dias de Obregon & Mariæ de la Ofilia, è ſupremo quinque contignationum tabulato, auulſo ſecum (cui adhærebat) cancello, in terram decidit. Tãta verò fuit caſus violentia, vt impingens caput in duas fuerit partes confractum, ac eliſus in faciem infantulæ cancellus ei oculum eruerit, & pendentem deciduumq; reliquerit, quibus malis impar tenella filia ſubitò expirauit. Defunctæ Parentes ſtrepitu excitati miſerum exitum lugentes, tandem de eius ſepultura egerunt: at verò Mater, dùm clamoroſis gemitibus totam domum impleret, fortè in imaginem S. P. Solani ad lectuli caput appenſam oculos conuertit; coram qua poſitis genibus, in amaritudine cordis & in felle lachrymarum, quaſi altera Phenennæ vxor, non prolis generationem, ſed reſurrectionem humiliter petiuit. Mox interiori ſpe recreata, cadaueris vultum oleo lampadum Serui Dei tàm efficaciter vnxit; vt ſtatim oculus erutus

Mortuæ vitam, & caput confractum, ac oculum effoſſum reſtituit.

intra

intra palpebram reuerti, & locum priſtinum occupare ſit viſus; vertex conſciſus, illicò reintegratus; corpus emortuum, ſtatim animatum, mobiliq; fuerit redditum facultati. Lucis itaq; vitalis beneficio donata puella, quaſi à ſomno excitata exclamauit: *Ieſus ſit mecum*; & in ea ex tot læſionibus paruus, dumtaxat in perpetuam miraculi memoriam, ſub oculo liuor remanſit. Poſt triduum autem infantula, quę abſq; alio remedio perfecta ſanitate gaudebat, Matrem adijt, ac nomen Sancti illius ipſi tàm chari ſciſcitata, roſarium in eius honorem recitandum petijt; nominatoq; ſibi Viro Dei Solano magna lætitiæ ſigna ſupra ætatem expreſſit.

Ab equo infręnato penè occiſam ſanat puellã

His defunctis à morte ſuſcitatis, addam alium; ſi non à funere, ſaltem ab eius faucibus ereptum. Anno 1634. in regione de Caras, Prouinciæ de Guailas equus effrænis per vias diſcurrens, & ſecum magna trahens ligna, Annam triennem puellam Ioannis Ferdinandi Iordani filiam violento impulſu ſuper lapides proſtrauit, capitis tempus largo vulnere affecit, & graui vultum læſione ſauciauit. Ad tàm exitialem euentum frigidus humor infantulam inceſſit, loquelæ facultas, & omne vitalis ſpiritus inditium deſeruit; ità vt aut mortua, vel parùm ſuperuictura iudicaretur. Illam ſic ab hominibus deſperatam afflictus Genitor, inuocatis Serui Dei Solani meritis incolumem citò recepit: nam vſui ſenſuum reddita, die ſequenti per ſe ſtare; altera verò cum

alijs

alijs pueris currere & iocari viſa fuit. Nec vllo indiguit humano remedio, tàm bono Medico cõmendata; immò quæ appoſita fuerat (quaſi in conſortiũ cœleſtis pharmaci) herba, cùm manifeſtè noceret, reiecta eſt; vt tota puellulæ ſalus Dei Seruo perficienda relinqueretur.

Ab infauſto puerperio mulieres plurimæ liberantur. Cap. XIII.

ANno 1630. menſe verò Martio, Ioanna de Carrion Franciſci Muñoz aurificis vxor, infœlici partus ſucceſſu, acutos dolores, certumquè mortis periculum ſubiuit. Fœtus enim in globum ad guttur complicatus, capite autem erumpente, quaſi ſuffocabatur; quòd cùm aduertiſſet obſtetrix ipſi ſalutares Baptiſmi aquas impertiuit. Tantæ verò erant parientis anguſtiæ, vt ſudore frigido tabeſcens, & quaſi ſenſibus priuata expirare putaretur: hanc ſic patientem circumſtantes monuerunt; vt remedijs & curis exhauſtis, ſe ex intimo corde Viro Dei Solano commendaret, Miſſæ ſtipendium largiendum voueret. Aſſenſit mulier, & votum emiſit; ſtatimq; peperit, & poſtmodùm Genitrix & fœtus abſq; periculo perſtiterunt. Mulieres à partu infauſto liberatæ.

Maria Magdalena de Aliſſis coniux Ioannis Ortiz de la Fuente eodẽ Anno 1630. parturiens, fœtu tranſuerſo nec non ad ſtomachum pertingente, Item alia.

inex-

inexplicabiles dolores percepit: eorum namq; violentia deliquium cordis ac ſenſuum paſſa, & frigore læthali rigeſcens, mortem à ſimili caſu inſeparabilem oppetere videbatur. Non defuère obſtetricum curæ, & artes; ſed ijs nihil iuuantibus, in hoc acerbo cruciatu vſquè ad craſtinum perſeuerauit. Tunc compatiens ipſius Mater Anna de Noyal, Capellam Viri Sancti adiuit, Miſſæ celebrationem commiſit; & indè oleum lampadum eiuſdem afferens domum, eo filiæ prægnantis ventrem liniuit, ac vtraq; Serui Dei auxilium, hæc corde, illa ore deuotè implorauit. Tàm efficaci remedio reuocatur dolorum ſenſus, reducuntur vires, corporis tumor abſcedit; & obſtetrix facili manu prolem erigere, & ad exitum diſponere potuit, vt tandem intra quatuor horas fœminam incolumem ſine periculo parturiens effuderit.

Partum fœlicem obtinet.

Eleonora de Eſcalona & Aguero vxor Franciſci Garnica, magno animi dolore confecta, quòd iam quinquiès grauida ſemper abortiuos fœtus, & mortuos ad ſextum vel ſeptimum menſem peperiſſet; ad Viri Dei Franciſci Solani potentem interceſſionem conuertitur, facta promiſſione de prole ipſius nomine, ſi viuam gigneret, inſignienda. Audita eſt deprecatio mulieris, quæ fœtu concepto interdùm, quos aliàs ſolebat abortus dolores experiri, patiebatur; ſed ſtatim ac ſe oleo lampadis in Capella ſui Aduocati ardentis confidenter vngebat, ac flebili

voce opem eius petebat, omnem ſedari moleſtiam ſentiebat. Tandem elapſis nouem menſibus, filiam viuam & ſanã die prima Iulij Anni 1631. produxit, quæ in Baptiſmo Franciſca Solano fuit nominata.

Maria Ximenez vxor Andreæ de Villarroel grauida, hydropiſi (quam Medici infantiam vocant) ex natura ſua valdè difficiliter ſanabili, toto corpore & ventre intumuit. Iam à ſex menſibus crudeles die noctuq; abſquè vllo lenimine ex multis remedijs percepto, dolores perpeſſa; ſuperueniente tandem puerperij cruciatu læthali, in vltimum vitæ diſcrimen deuenit: Cùm ecce quòd habitus Viri Sancti præſegmine, & fune aluo contacta, auxilio eiuſdem ſuper ægram humiliter inuocato, & nouendiali ad ipſius Sacellum ſtatione promiſſa; hæc breui interuallo prolem geminam vitæ cõpotem genuit, & ſecundas purgationes emittens, mox ſana penitùs effecta, fœliciorem illum omnibus præcedentibus partum ſibi fuiſſe affirmabat. *Ab hydropiſi, & partu liberat.*

Iſabella Barraza validos infauſti puerperij dolores die Mercurij, trigeſima prima Martij Anni 1631. vſquè ad feriam ſextam ſequentem productos non ſine manifeſto periculo ſenſit. Hanc obſtetrices vnctionibus fouere, potionibus recreare, alijſq; remedijs ſubleuare contenderunt; ſed fruſtra: vnum tandem brachiolum fœtus eduxit, in quo Baptiſmi lauacro ad cautelam ablutus, ſic vſq; ad Sabbathum tertiam Aprilis diem perſtitit; moxq; viſum eſt edu- *A diuturnis partus doloribus.*

ctum lacertum corrumpi, & tabo mortis obduci. Mortuam itaq; prolem aut manu, vel vncino ferreo auellere & extrahere volétes obſtetrices, mulierem Sacramentorum receptione ad incertum exitum diſpoſuère: ſed inſufficiens vngula, & ars humana inutilis fuit; adeò namquè extinctum corpuſculum altè ſubierat, ac venter puerperæ inſtar metalli obdurauerat, vt nec illud extrahi, nec iſta poſſet iuuari. Iam à principio dolorum ſincera Parentum & proximorum fides ſacris reliquijs, & ipſamet ſalutiferę Crucis adoranda particula infirmam munierat; ſed Deo ità ordinante, nullũ ex his efficax ſalutis emanauit ſubſidium. Reſeruabatur Sancto Patri Solano miraculum, mox enim vt inuocato eius patrocinio, oleo lampadum è Sacello ipſius aduecto parturientis aluus inunctus fuit; emollita duritie, mortuũ abortiuum cum ſecundis malè olentibus quàmcitiùs eiecit, & mulier ſana remanſit.

Lapide occiſam prolem ab aluo fœliciter educitur.

Catharina Bran ſerua Hieronymæ de Pineda ſeptimeſtri grauida fœtu, proiecto ab adoleſcente ſaxo ad ventrem impetita, in terram ferè exanimata çecidit, & proles ictu offenſa moritur. Hinc dolores matris ingraueſcunt, & puerperij exitus impoſſibilis ab obſtetricibus iudicatur: his in periculis adfuère inuocata Sancti Viri Solani merita, cum præmiſſa ex lampadibus eius alui patientis vnctione; illa ſubitò voces emiſit, & tranſuerſam, conglobatam, ac inter ſecundarum fœces teſta capitis

fracta

fracta confuſam creaturam effudit, & liberam ſanitatem inuenit.

Ludouicæ de Sauedra cùm olim ſexennis infantula ex alta ſaccorum farinæ congerie in imum decidiſſet, veſſica caſu violento diſſoluta, & inteſtina diffluentia omnem Medicorum artem exhauſerant; immò mortuis eius Parentibus, ceſſauerat cura, & ægritudinis robur inualuerat. Cùm ergò per quindecim annos ſic vitam moleſtijs plenam tranſegiſſet, tandem viro nupta grauida effecta, periculum fuit, nè fœtus per herniæ fractionem periturus exiret: hac in anguſtia, à Medicis quidem & obſtetricibus præuiſa; ſed nulla niſi Diuina manu impedienda, quæſitum Sancti Patris Solani præſidium inuenit. Nam cùm partem confractam oleo lampadum eius ſemel vnxiſſet, vires nouas accepit, tempore opportuno peperit, & ab omni læſione libera fuit.

A fractione diuturna, & periculo puerperij liberat.

Anno 1633. Anna Malo de Molina Petri Nuñez de Aluarada Ciuis Limani vxor à duobus menſibus grauida, per nouem dies ſanguinem cum excrementis effudit; & licèt propter medicaminum efficaciam, hic in tanta copia non flueret: tamen cùm non ſtetiſſet profluuium, illa ſemper in vitæ periculo verſabatur. Quadam autem nocte dùm vehementer anxiaretur, oleo lampadum Serui Dei Solani venter eius inungitur, & in eius auxilium tanti interceſſoris merita inuocantur. Adfuit ſtatim ille, & auxilium tulit: facto quippè manè, mu-

A profluuio ſanguinis, & fœtu corrupto eripit

lier putrefactum, & odore tetro manantem fœtum emiſit; & ab hinc ſine alio remedio, ſtetit ſanguis, & ſanitas redijt.

Olei lampadum Serui Dei vnctione herniæ fractiones, & crurium debilitates ſanantur. Cap. XIV.

Olei lampadum Serui Dei efficacia.

Bernardus puellulus recens natus Capitanei Ioſephi Carrafo del Zaz, & Iſabellæ de Saauadra filius continuo vagituum motu hernicam incurrit fractionem, cuius medelæ nulla per quatrienniũ fuerunt omiſſa remedia; ſed ijs in vanum cedentibus (nam pueri inteſtina diffluebant, læſæ partes tumore turgebant, & acuti patientis dolores, omne refrigerium arcebant) anxiata & turbata Mater oleo Sancti Patris Solani herniam vnxit; ac ſtatim infantulus reſoluto tumore, inteſtinis ad ſedem natiuam reductis ſanus euaſit. At cùm exhilaratus & gaudens ſubitò è lectulo ſurgere voluiſſet, nimis prouida Genitrix ipſum obligauit, & bracchali muniuit: diſplicuit cœleſti Medico artis terrenæ conſortium, nam quadam die ad veſperam proſiliente è cubili puero conſciſſum eſt bracchale, & ſtatim redijt vmbilici profluxus. Modicam vxoris fidem aduertens maritus, veniam pro ea à Viro Dei, & ſecundam pro filio gratiam poſtulauit, & ſacro Religionis Seraphicæ habitu, ſi ſanaretur, veſtiendum

Ab hernia liberat

pro-

promiſit; mox bracchali exuit, & nè aliud ipſi ſub tanti interceſſoris tutela conſtituto adhiberetur remedium, interdixit. Has ſolùm contentus à filiolo in ſtrato iacente, per tres aut quatuor dies, proferri voces: *Sancte Solane, fractionem meam pro amore Dei ſana*. Placuit Deo ſincera fides Parentis,& ſimplex puelluli deprecatio, eò quòd prociduus vmbilicus introgreſſus eſt,fractio ſolidata,& ſanitas ęgro mirabiliter reſtituta. Cuius beneficij, vt perennis vigeret memoria, deuotam Sancti Patris Solani imaginem cum puero ante ipſum genuflexo Parens fecit depingi, & in domo ſua reponi.

Nicolaus de Villauicencio ſeptēnis Chriſtophori Guttierrez Muñoz Oppidi Sañæ Moderatoris, & Luciæ de Villauicencio filius in herniam delapſus, & grauem in veſſica tumorem paſſus; quia vnigenitus, & ſummè dilectus experto Chirurgo curandus traditus fuit: ſed hic doloribus & vlceribus circa fractionem afflictum magìs reliquit. Dùm ergò inſanabilem Genitor doleret, nec de alia, quàm de terreſtri medicina cogitaret; à Capitaneo Ioſepho Carraſco del Zaz inuiſitur, & de filioli ſui mirabili ſanitate ſupra enarrata edocetur: ad quæ ille animoſior factus, ſubitò pueri ſui emplaſtra, faſcias & ligamenta ſolui, reijciquè mandauit; ac confractam partem ſalubri hoc oleo tàm opportunè ſemel inunxit, vt ſtatim tumor diſſolutus & inteſtina recluſa ſint, & ſanatus eſt puer ex illa hora. In cuius miraculi

Ab hernia, & tumore.

culi indelebile monimentum eius Parens Sancti Viri Solani imaginem depingi, & in domo ſua voluit decenter appendi.

Ab hernia, & epilepſia.

Ioannes puellulus recèns natus ſeruæ Mauræ filius, ob violentas epilepſiæ commotiones, etiam in hernicam fractionem deuenit; inſanabilis iudicatus eſt morbus vterquè & mortalis, nec aliud ſupererat, niſi Diuinæ propitiationis auxilium: quarè per triduum membra illius læſa, & corporis compages oleo ex lampadibus Serui Dei liniuntur; & ab omnibus infirmitatibus ſuis puer ſanatur. Ioannes Narnaez Chirurgus vir ſenex, cùm vltra ſexennium graui herniæ laboraſſet anguſtia, olei eiuſdem vnctione perfectè conualuit.

Etiam ab hernia.

Saluator puellulus quatuor menſium Ildephonſi de Orta, & Petronillæ de Vera & Soto prope Saňam habitantium filius, hernia contracta, vmbilico procidente, & ſuperaddita febre; ad vltimum vitæ diſcrimen adductus, ab afflictis Parentibus ad Sanctuarium Dominæ Noſtræ de Guadalupe, ſeptem leucis ab Oppido diſtans, pro ſalute delatus eſt. Nec ideò tamen (Deo ſic diſponente) ab illo gratiarum ſacrario vllum leuamen recepit: quarè Raphaela de Soto, pueri Auia Petronillam Matrem monuit; vt partem ſauciatam, oleo Sancti Viri Solani foueret. Acquieuit iſta, & tàm efficaciter filium vnxit; vt ſtatim perfectè ab hernia, febre, oculorumq; morbo liber euaſerit. Verùm, vt illa probaretur in

tenta-

tentatione fidelis, iterùm intra quatuor dies fractio recruduit: Mater autem non deſperans, ſalubrem vnctionem per quinque aut ſex dies reſumpſit; cuius quidem virtute, ſecuram & validam Anno 1639. puer conſecutus eſt ſanitatem.

Emanuel de Arco prope Sañam commorans; aſperi collis aſcenſu ſudorem, & ex iſto crurium debilitatem contraxit; quam (vt vinceret) plurima per biennium adhibuit medicamenta, ſed fruſtrà: nam dolorum violentia, quietem & cibi appetitum amiſerat, nec abſq; grallarum fulcimento poterat ambulare. Quadam autem nocte, inferueſcente moleſtiarum æſtu, ſollicita vxor (eo interim humiliter ſupplicante) ipſius compages, & partes læſas oleo lampadum Sancti Viri Solani confidenter liniuit: adfuit illicò cœleſte ſubſidium, æger enim obdormiuit, & ſomnum ſibi à multis noctibus præ anguſtia ereptum, vſquè ad octauam matutinam (quæ meridiem quatuor præçedit) horam protraxit. Circa quam excitatus ſe liberum ſentiens, cibum auidè comedit; & deinceps ab omni infirmitate mirabiliter ſaluus, grallam (cui fuerat hactenùs innixus) Eccleſiæ parochiali in trophæum appendit, vxor verò imaginem Serui Dei inter alias Sanctorum effigies in ſuo cubiculo collocauit.

A debilitate crurium.

Marcus de la Vega, cùm in exercitu Regis Catholici contra Indos rebelles militaret, in conflictu inito die quinta Octobris 1635. à cruris ſiniſtri ſura, vſq,

ad

Á fractione & vulnere crurium.

ad ſuperiorem genu partem duplici haſtæ impulſu transfixus fuit. Hunc Chirurgi curare tentantes neruos aliquos amputàrunt, quorũ ſciſſione læſo crure, contractis articulis, & pede breuiori effecto, non niſi beneficio grallarum incedebat: eàpropter à Chile Limam pertranſijt, deſperantibus Medicis, & ſanitatem arti humanę ſuperiorem affirmantibus; iam ferè per tres annos in hac ærumna perſtiterat, cùm tandem ad Seruum Dei Solanum die Lunę Februarij quinta decima, Anno 1638. confugiens, præmiſſis confeſſione & communione, ad ſepulchrum eius acceſſit, & humiliter pro ſalute rogauit. Mox à Religioſo quodam oleo lampadum ad partem læſam inunctus, ſtatim obdormiuit; at poſt horam circitèr expergefactus, crus ſaucium extendit, in terram facilè pedem fixit, reiectiſquè fulcimentis inceſſit. Audito miraculi rumore multi Fratres è Conuentu accurrerunt, claudum rectè gradientem viderunt, & in gratiarum actione, *Te Deum laudamus* decantàrunt. Miles verò appenſis coram ſepulchro grallis, domum liber reuerſus eſt, & nullo impoſterùm indiguit fulcimento.

Olei

Olei lampadum coram ſepulchro Serui Dei Franciſci ardentium vſu multi à varijs ægritudinibus liberantur, & bona fortunæ ab ipſo ſeruantur. Cap.XV.

PEtronilla quatriennis puellula tumidis, & velut ſanguine tinctis oculis graues ſuſtinens dolores, inſuper & vlceribus ſaucio oris palato, non niſi ægrè cibum ſumens, à Parentibus ad Sacellum Viri Sancti Solani die Indulgētiæ Portiunculæ delata eſt. Quæ cùm Sacriſtam Conuentus oleum ex appenſis ibi lampadibus extrahentem vidiſſet, ipſa quoquè oleum petijt; cuius vt ille planctum ſedaret, intinctum oleo linteum eidem porrexit. Hoc etiamſi illa à Genitoribus auerteretur, & de graui (quem ex contactu erat paſſura) dolore moneretur, oculos perfricuit, & aliquandiù perunxit: moxq; ſe ſanam & claritati donatam exclamauit. Obſtupuère præſentes ad miraculum quidem, ſed magìs ad puellulę fidem, quæ etiam ex loco, in quo priùs ſacrum corpus iacuerat; cùm terram ab alio vidiſſet educi, ipſa quoquè terram voluit, ori appoſitam maſticauit, & iuxta palati plagas linguæ perfricatione perduxit: ac ſtatim ſe nulla earum incommoda pati teſtata eſt. Et reuerà ſicut oculorū tumor & lippitudo olei vnctione, ſic oris vlcera terræ maſticatione miraculò ſtupendo deſijſſe eadem die comperta fuerunt.

Olei efficacia:

Ab vlceribus varijs liberat;

Puellæ mirabilis fides;

A ſplenis moleſtia.

Hieronyma de Eſcalona & Aguero per octenniú adeò vehementi ſplenis moleſtia laborauit, vt interdùm deficiente halitu moueri non poſſet, & in vitę diſcrimen ſæpè deuenerit. Aegrotanti Medicorum cura non defuit; ſed remedijs incaſſum tentatis inſanabilis ægritudo iudicata eſt: tunc illa ad Sanctum Patrem Solanum, vt cœleſtis Medici Seruum; tota ſe mentis fiducia conuertens, promiſit; quòd ſepulchrum eius viſitaret, habitum Religionis Seraphicæ per annum deferret, & ſingulis ſextis ferijs ieiunaret. His ſic emiſſis, ad eius Capellam translatá, Minoritica ſe veſte contexit, & oleo lampadis ibi ardẽtis latus inunxit: illicò autem Sancti Viri operante virtute, ſana & incolumis abſq; vllo doloris cruciatu domum redijt.

Ab vrinę detentione, & vlceribus

Capitaneus Ioannes à Sancta Cruce & Padilla Vir nobilis, ob prolixam triginta annorum, & grauem vrinæ detentionem nonnunquàm ad vltimas mortis decidebat anguſtias. Curatur à Medicis, applicantur exquiſita remedia, ſed fruſtrà; augebantur quippè dolores in tãtùm, vt frigido ſudore madens, & quaſi agonem patiens fremeret, ac clamores ederet luctuoſos. Aperiuntur tandem quatuor abſceſſus, è quibus in tot fiſtulas mordaces conuerſis velut per patentes canales vrina diffluebat: his in extremis ad Capellam Sancti Patris Solani opem quæſiturus accedit, rogat humiliter, petit confidenter, oleo lampadum vlcera (Crucem ſignando) perungit,

git, ac ſtatim; quod tamdiù quæſierat, ſanitatis bonum inuenit, & ad propria liber remeauit.

Ioanna ſerua Hieronymæ de Acuña cùm grauida eſſet, repentino apoplexiæ defluxu, feria ſecunda, vltima verò Septembris Anno 1630. correpta, & nonnũquàm morbo comitiali agitata, tranſitus imminentis præferebat inditia. Hanc in agone poſitam iamquè myſterioſo morientium Chriſtianorum cereo inſtructam, Hera Sancti Patris Franciſci Solani inuocato præſidio, oleoq; lampadum eius in fronte, ore & ventre, Crucis ſignum formando, liniuit; tàm ſalutari vnctione remiſſa eſt ſtatim ægritudo, & infirma ab epilepſiæ caſibus, alijſq; liberata contorſionibus, paulatim ſanitatem mirabiliter recuperauit. Ab apoplexia, & epilepſia.

Eodem Anno 1630. menſe verò Octobris Ioſephus Niño de Frias triplici carcinomatis, vnius ſcilicet ad caput, & duorum in vultu, deformitate contracta; medicinæ fomenta ſibi parùm profutura exiſtimans, læſas partes oleo Serui Dei vnxit & fouit, ſtatimq; reſoluto tumore ſanus euaſit. Huius fœlici ſucceſſu animatus Didacus de Sauedra barbitonſor eodem menſe & anno à grauioribus (quibus à ſeptennio irremediabiliter laborabat) cruris vlceribus meruit liberari. Cùm enim quadam nocte, illorum acerbitate præter ſolitum cruciaretur, ad Virum Dei conuerſus, ait: *O Sancte Pater, ſi tui olei vnctio Ioſepho Niño ſalubris fuit, ſit & tua mihi inter-* A carcinomatibus.

 ceſſio

A ſplenis moleſtia.

Hieronyma de Eſcalona & Aguero per octenniũ adeò vehementi ſplenis moleſtia laborauit, vt interdùm deficiente halitu moueri non poſſet, & in vitę diſcrimen ſæpè deuenerit. Aegrotanti Medicorum incura non defuit; ſed remedijs incaſſum tentatis inſanabilis ægritudo iudicata eſt: tunc illa ad Sanctum Patrem Solanum, vt cœleſtis Medici Seruum, tota ſe mentis fiducia conuertens, promiſit; quòd ſepulchrum eius viſitaret, habitùm Religionis Seraphicæ per annum deferret, & ſingulis ſextis ferijs ieiunaret. His ſic emiſſis, ad eius Capellam translatá, Minoritica ſe veſte contexit, & oleo lampadis ibi ardẽtis latus inunxit: illicò autem Sancti Viri operante virtute, ſana & incolumis abſq; vllo doloris cruciatu domum redijt.

Ab vrinę detentione, & vlceribus

Capitaneus Joannes à Sancta Cruce & Padilla Vir nobilis, ob prolixam triginta annorum, & grauem vrinæ detentionem nonnunquàm ad vltimas mortis decidebat anguſtias. Curatur à Medicis, applicantur exquiſita remedia, ſed fruſtrà; augebantur quippè dolores in tãtùm, vt frigido ſudore madens, & quaſi agonem patiens fremeret, ac clamores ederet luctuoſos. Aperiuntur tandem quatuor abſceſſus, è quibus in tot fiſtulas mordaces conuerſis vel ut per patentes canales vrina diffluebat: his in extremis ad Capellam Sancti Patris Solani opem quæſiturus accedit, rogat humiliter, petit confidenter, oleo lampadum vlcera (Crucem ſignando) perungit,

git, ac ſtatim; quod tamdiù quæſierat, ſanitatis bonum inuenit, & ad propria liber remeauit.

Ioanna ſerua Hieronymæ de Acuña cùm grauida eſſet, repentino apoplexiæ defluxu, feria ſecunda, vltima verò Septembris Anno 1630. correpta, & nonnũquàm morbo comitiali agitata, tranſitus imminentis præferebat inditia. Hanc in agone poſitam iamquè myſterioſo morientium Chriſtianorum cereo inſtructam, Hera Sancti Patris Franciſci Solani inuocato præſidio, oleoq; lampadum eius in fronte, ore & ventre, Crucis ſignum formando, liniuit; tàm ſalutari vnctione remiſſa eſt ſtatim ægritudo, & infirma ab epilepſiæ caſibus, alijſq; liberata contorſionibus, paulatim ſanitatem mirabiliter recuperauit. Ab apoplexia, & epilepſia.

Eodem Anno 1630. menſe verò Octobris Ioſephus Niño de Frias triplici carcinomatis, vnius ſcilicet ad caput, & duorum in vultu, deformitate contracta; medicinæ fomenta ſibi parùm profutura exiſtimans, læſas partes oleo Serui Dei vnxit & fouit, ſtatimq; reſoluto tumore ſanus euaſit. Huius fœlici ſucceſſu animatus Didacus de Sauedra barbitonſor eodem menſe & anno à grauioribus (quibus à ſeptennio irremediabiliter laborabat) cruris vlceribus meruit liberari. Cùm enim quadam nocte, illorum acerbitate præter ſolitum cruciaretur, ad Virum Dei conuerſus, ait: *O Sancte Pater, ſi tui olei vnctio Ioſepho Niño ſalubris fuit, ſit & tua mihi inter-* A carcinomatibus.

ceſſio proficua; & ſi ſalutem dederis, lampadibus tuis olei menſuram vouco deſtinandam. Auditum eſt ſupplicantis votum, nam ſummo manè expergefactus, obſtruſis arefactiſq; vlceribus ſe ſanum inueniens, miraculum proclamans vxorem excitauit.

A tibiæ vlcere.

Eodem vt ſuperiùs anno, milleſimo videlicet ſupra ſexcenteſimum trigeſimo, Iſabella Folupa Ioannis Garciæ Aluarez ſerua, graui & inueterato tibiæ vlcere cruciabatur, circa quod & alia odorem peſtiferum ſpirantia eruperunt; ac tandem humorum copia exundante crus totum in ocreæ craſſitiem intumuerat, & ad vlcerum moleſtias acuta febris acceſſerat. Tot malis cùm nullum prodeſſet artis humanæ ſubſidium, ipſius Hera Ioannis vxor, quo tempore acriores erant anguſtiæ, eius plagas ſalutifero illo lampadum oleo fouit; infirma interim Sancti Viri auxilium inuocante, deprecationem ſimplicis audiuit Deus, nam manè ſequenti ſe ſanã ſentiens, lingua vernacula laudes Creatoris concinere cœpit. Ad quam accurrentes Patroni perfectè ſanam, & vtroq; crure æqualiter incolumem repererunt.

A varijs infirmitatibus multos

Innumera profectò ſunt beneficia, quæ Seruus Dei Franciſcus Solanus Anno 1630. ipſum deuotè inuocantibus, contulit: Petronillam enim de la Cueua, & Catharinam de Vargas; illam olei lampadum vnctione, hanc ſacræ reliquiæ ad collum appenſæ virtute, à graui febrium æſtu liberauit. Iſabellam Gabrielem de Rojas Dominici Rodriguez

Freyle

Freyle viduam, membris omnibus captam, eiuſdem olei fœlici lenimine priſtinæ reſtituit ſoſpitati. Puella quindecim menſium Chriſpiniana nomine, facto ab Hera ipſius voto de Capella Viri Dei donis honoranda, à mortis faucibus, & ab indubitato vitæ periculo retracta fuit. Puellulus Ioannes Franciſci de Aguilar ſeruulus nuper natus, à crudeli epilepſia, & ab hernica fractione, quam vehementi colliſione & caſu frequenti incurrerat; Ioanna quoq; infantula, à ſimili epilepſiæ malo, ſacra olei eiuſdem vnctione perfectè conualuerunt. Vincentius Hernandez aurifaber, quam à continua decem menſium febre hydropiſiam contraxerat, illo olei fomento omninò curauit. Sic erumpentem & turgentem ex parte iecoris abſceſſum, febri violentę coniunctum, repetita aliquotiès ea vnctione, Michael de Figueroa Sacerdos ſuperauit: Franciſca de Acuſia Gabrielis Cauallerij vxor à ſanguinis profluuio læthali, & à Medicis deſperato, ſola Viri Dei nominis inuocatione ſemel euaſit; & à recrudeſcente eadem poſt duos menſes infirmitate, dum ventrem ſacro eius oleo fouit, perfectè ſe liberauit.

Non ſolùm autem ſanandis corporibus & reſtituendo valetudinis bono, Viri Dei oleum efficax Anno 1630. fuit, ſed & fortunæ commoda ab aduerſis caſibus opportunè ſubtraxit; nam immenſam gurgulionum (qui tritico Prudentij Martinez de Azagra inſederant) molem, & formidandum eru- *A gurgulionibus triticum.*

carum

Ab erucis agrum. erucarum (quæ Andreæ Ximenez Maldonado herbam medicam in agro infeſtabant) diluuium, Patris Franciſci Solani humilis inuocatio, & olei lampadũ eius fidelis aſperſio deſtruxerunt.

De diuerſis alijs ſanitatibus ab illo oleo operatis, nec non de mirabili eiuſdem multiplicatione. Cap. XVI.

Olei efficacia. Ab vlceribus & ſthruma gutturis. ANno 1631. Emanuel de Figueroa Curiæ Limanæ Secretarius, vehementem gutturis moleſtiam, ſthrumam acerbam, internam inflammationem, & vlcera fauces infeſtantia patiens, nec locum cibi, nec requiem ſomni habebat. Acceſſerat tot malis violenta febris, quæ ipſum iam circiter trimeſtri interuallo exercebat. Deſtitutus itaq; remedio humano, votum vouit Domino, & ſe Sancto Patri Solano commendans promiſit; quòd & eius tumulum per nouendium deuotè frequentaret, Miſſarum ſtipendia largiretur, & ſanctis ſe Sacramentis reficeret. Hac prolata ſponſione, oleo lampadum eius fauces obliniuit, ac ſtatim lenimen percipiens, die ſequenti nouendialem tàm fœlicitèr inchoauit ſtationem; vt quarta die & ſi cibos alioquin nociuos comediſſet, ſanus perfectè abſque alio remedio effectus ſit.

A profluuio ventris, & Ildephonſus Iacome Carlos eodem anno febre, alui profluuio, & intenſo ventriculi dolore cum hæmorroi-

morroidũ morbo (Indicè *Mal del valle* nuncupato) anxiatus, nulloq; ſubleuatus remedio, quadam nocte in ipſa dolorum violentia oleo Sancti Viri Solani ſe vnxit; cuius virtute ſedato cruciatu, ſomnum ſuauem (quem à viginti diebus optabat) ſenſit, & manè expergefactus optimam ſanitatem ſe probauit adeptum. Ipſomet anno Catharina Bran Franciſci de Obando ſerua, eiuſdẽ olei potu à ſimili malo fortiter ingraueſcente obtinuit liberari. dolore.

Hoc eodem Anno 1631. Maura puellula adeò grauiter infirmata eſt, vt intra tres dies nec fugere poſſet, nec mortem euaſura putaretur. Hanc Ioanna Delgado Hera Seruo Dei Solano ſanandam deuotè committens, libram ceræ, & eleemoſynam Miſſæ, ſi ſanaretur, promiſit: moxquè ſacro eiuſdem oleo mandibulas, & ventrem ſeruulæ vnxit. Quæ poſteà intra horam, voces emiſit, vbera ſuxit, & tumore ventris reſoluto ſana remanſit. Ipſo etiam anno Maria de Carranca tenellã filiolam febri acuta correptam, à Medicis derelictam, ac vltimum vitæ halitum emittentem ad Conuentum S. Frãciſci circa noctis crepuſculum tulit, & ſuper Sacelli Viri Dei Altare repoſuit, vultumquè eius ad ſacram interceſſoris imaginem conuerſum oleo lampadum vnxit. At puellula ſtatim efficaciam interceſſionis experta, quieti ſomnoq; ſuaui donata, domũ reducta eſt; media verò nocte expergefacta, mamillas apprehendit & ſuxit, manèq; exorto à febre libera fuit. A mortis faucibus.

Anno

Venas reclu dit, & ſanguinē ſiſtit.

Anno 1638. Agneti de Oroſco Signiferi Ludouici de la Barrera Aguiar vxori, vt ab orta in faucibus ægritudine per moderatam ſanguinis emiſſionem ſanaretur, duæ ſub lingua venę apertæ fuerunt: verùm inſciſione nimis, aut ineptè protracta, adeò larga ab eis cruoris copia effluere cœpit; vt nullo recludi poſſent remedio. Succeſſu afflicta mulier, & vitæ iacturam verita, ad Sancti Patris Solani efficacem, prudenter ſanè, recurrit virtutem: nam à ſorore eius ſalubri illo lampadum oleo venis cum ſigno Crucis inunctis, ſtatim defluxus ſanguinis ſtetit.

Oleum è lãpadibus Serui Dei extractũ multiplicatur.

Qui olim in deſerto panem famelicæ multitudinis multiplicauit in cibum, ità noſtris temporibus in Indijs, pretioſum è Serui Dei Solani lampadibus hauſtum oleum in languentis Populi remedium mirabiliter, nè deficeret, conſeruauit; aut illo deficiente, nouum in vaſis creauit. Ildephonſus Martinez Lozano, & vxor eius Auguſtina de Aluarado ampullam vitream oleo lampadum Viri Dei nondùm ſemiplenam acceperant; quò per duos & vltrà annos frequenter pro varijs infirmitatibus vſi, nunquã tamen minui, aut immutari nouerunt: immò cùm aliquandò media eiuſdem pars fuiſſet educta, & ad multos languentes tranſmiſſa; cùm intra duas horas ad aliud extrahendum veniſſent, ampullam refertam & vſq; ad ſummum oleo plenam repererunt. Admirati caſum (præſertim cùm non humana infuſione repoſitum certiſſimè ſcirent) illud in aliud

vas

vas tranſmutàrunt. Quodq́ quidem nitidum & impermixtum oculi retulerunt, guſtus autem amarum & inabſorbibile iudicauit.

Angela de Leſcano Barbaran vas vitreum oleo lampadum coram Serui Dei ſepulchro ardentium, è Limana Ciuitate ad regionem de Chiclayo plenum ſibi tranſmitti curauit, quod per quinquennium ità crebrò infirmi illius Prouinciȩ & Truxilli diſtribuit; vt cùm ſexiès vltra vaſculi capacitatem eductum nõ defeciſſet, pro continuo miraculo haberetur. Anno tandem 1632. mẽſe Iunio nocte quadam feriæ ſextæ in neceſſitate pueruli vrina laborantis defecit: nam rogata pro oleo Angela præfata vas ad ſe delatum omninò vacuum & exhauſtum mouit, linteis in illud immiſſis perfricuit, candela accenſa calefecit, nec tamen oleum, aut humorem olei vllum expreſſit. Quarè ad eum, qui cuncta creauit ex nihilo conuerſa, ait: *Quomodò Domine, nunc deeſt oleum, vt cum illo miracula dilecti Famuli tui ceſſent; oſtende Domine, meritorum ipſius virtutem, vt nos eam celebremus*. Vix hæc protulerat, cùm ſubitò vaſculũ (quod adhuc præ manu tenebat) ſenſibiliter nouo olei limpidi liquore exuberans vidit: rei nouitate ſtupefacta voces emittens, plures alios miraculi teſtes acciuit. Hoc oleo non naturæ fœtu producto, ſed ex Omnipotentiæ Diuinæ ſinu educto; non generato, ſed creato: cùm plurimi contra ægritudines fuiſſent in remedium vſi, Anno 1639. menſe Nouembri, quo

Item multiplicatur.

Illuſtriſſimus Truxilli Epiſcopus informationem de miraculi veritate confecit, nondùm tamen erat exhauſtum.

Oleũ multiplicatum ab infirmitatibus ſanat.

A febre & fluxu ſanguinis.

Multas prodigioſum hoc oleum ſuperauit infirmitates, & curauit languores. Indus quidam ſeruus nomine Auguſtinus, febre & ſanguinis fluxu inſanabili ad extrema redactus vocis vſum amiſerat; & cùm lingua proprios manifeſtare reatus nequiret, abſolutionem quibuſdam contritionis extrinſecis ſignis innixam à Sacerdote receperat. Hoc in agonis certamine dùm à morte proſtrandus verſaretur, à filia Angelæ Barbaran oleo præfato in fronte cum Crucis ſigno perunctus fuit; ſtatimquè profluuium ſanguinis deſijt, febris ceſſauit, ille ad ſenſus rediuit, cibum petijt, & in breui quatridui ſpatio bonam valetudinem eſt conſecutus.

Ab hydropiſi, & febre

Ludouicus Ildephonſus triennis puellulus, filius Domini Ioannis de Loſſada & Magdalenæ Roſdan de Auila, Anno 1632. febre vehementi, & conſummata hydropiſi laborans cruribus & veſſica valdè intumuit. Hunc cùm fruſtrà per ſex menſes phyſicorum docta ſollicitudo curaſſet, ac tandem intra horam expiraturum Medicus affirmaſſet, Parentes ſub Venerabilis Serui Dei patrocinio repoſuerunt: imago itaquè Sancti Patris Solani ad lectulum infirmantis admouetur, oleum illud miraculosè productum ſuper vmbilicum in Crucis figuram vngendo protrahitur, cartula quędam è burſa reliquiarum

educta

educta ad ventris ſummitatem applicatur ; & ecce quòd vix elapſo horæ quadrante, quaſi ſcalpro confixus fuiſſet vmbilicus, per imperceptibilem & aciculæ minorem exitum viſa eſt effluere tenuis aqua, quæ à veſpero vſq; ad auroram decurrens, & omnẽ lectuli ſuppellectilem penetrans ac madefaciens, tãdem veſſicã & crura à tumorẽ libera reliquit. Cuius beneficij non ingrati Parentes puerum ad Oratoriũ Viri Dei orto die tulerunt, vt in Miſſa à Decano Iuliano de Turre ipſius Patruo celebranda ſiſterent eum Domino, & propitio Liberatori gratias referrent : altera verò die infantulus omninò ſanus è lectulo ſurrexit, & incolumis deinceps perſeuerauit: Ex hoc etiam miraculi fama accreuit, quòd poſt quindecim dies Ferdinandus Perez argentarius eadem tumoris infirmitate grauatus, Chirurgorum ſcalpello vmbilicum ſibi transfigi fecit, qui copioſum quidem aqueum humorem emiſit ; ſed intra quatuordecim poſt transfixionem horas, æger occubuit.

Maria Alfaro olei lampadum Sancti Viri Solani virtutem ſæpè in ſe, & in alijs experta fuerat : nam vlcus malignum ſiniſtram pectoris partem corrodens, quod terrena remedia nequiuerant, olei eiuſdem vnico linimento intra quatriduum perfectè curauit. Sic & eadem vnctione diuturnas anni & medij ex horrida ſcabie maculas & cicatrices deterſit ; ipſi etiam violento puerperio laboranti, cùm pes

Olei lampadum efficacia.

Ab vlcere maligno liberat.

A partu periculoſo. vnus prolis extra aluum erumpens mortis periculũ & timorem incuteret, oleo ſalutifero Viri Dei Solani ſe vngi popoſcit, & benè: nam illicò & abſque labore puerum pedes in exitus præmittentem effudit, quem Petrum vocauit. Huius quinquennis filius Eugenius ob febris tertianæ duplicis violentam prolixitatem à Medicis deſperatus, cùm nec linguã ſoluere, nec dentes ad eſum mouere, nec fauces ad deglutionem poſſet aperire: recitato ſuper eum Euãgelio, & olei lampadum Serui Dei vnctione protracta, intra horã à mortis agone reuerſus ſuper lectulum ſedit, voces emiſit; pulli aſsi partem, & intritum auiculæ pectus auidè manducauit, ac ſubitò liber à febre, intra quatriduum corroboratæ valetudinis bono potitus eſt.

A febre læthali.

Oleum multiplicatur. Cùm itaq; præfata Maria de Algaro Franciſci Ramirez Truxilli commorantis vxor per quinquennium paucis huius olei guttulis nunquàm deficientibus, in ſua ſuorumq; neceſſitate frequenter eſſet vſa; tandem aliquandò illius ſenſit defectum, quo etiam tempore infirmante puellulo quodam, & Patre ipſius Ioanne Aluarez oleum requirente, illa licèt carentiam iam viſu & tactu experta, rursùs tamen vaſculũ ab arca extraxit, quod quidẽ digiti latitudinem oleo ęquante prouiſũ inuenit: hocq; non ab hominibus infuſum, ſed Diuina operatione creatum, & vaſis in arca ſub claue recõditi ſecuritas, & prædicti infantuli ex eiuſdẽ vnctione ſubſecuta ſanitas comprobàrunt.

De

De miræ virtutis effectibus in animas à Viro Dei productis. Cap.XVII.

LIcèt corporibus hominum, aut fortunæ bonis diuinitùs collata beneficia; quia oculorum aciẽ percellunt, & materiales potentias mouent, apud rerum mirabilium æſtimatiores magna reputentur: quæ tamen animas ſpectant miræ virtutis operationes, & quæ ſuos in ſpiritualem humanæ naturæ ſubſtantiam producunt effectus; tantò maioris debent excellentiæ haberi, quantò nobilior eſt ſpiritus corpore, & anima terreſtri comparte ſublimior. Vtramquè hanc in corpora & animas Seruo ſuo Franciſco Solano Deus largitus eſt poteſtatem, vt & illa à morte, à periculis, à morbis eriperet; & has à vitiorum præcipitijs retraheret, & ad ſanctitatis, patientiæ, & pœnitentiæ amorem inclinaret. Præter ea autem, quæ ſuper his (dùm viueret) reliquit argumenta, quædam diù poſt mortem ſubſecuta referentur.

Virtus Serui Dei in animas.

Anno 1630. cùm Iuliana de Obregon Miſſæ à Baccalaureo Ioanne Franciſco de Valladolid in Capella Viri Dei celebratæ adeſſet, & pro bono ſucceſſu peregrinationis Antonij de la Cueua mariti ſui à Limenſi Ciuitate ad Regnum Terræ-firmæ & Panamam nauigantis oraret: in ipſa Sacramenti viuifici eleuatione vocem illam *Patientia*, è ſepulchro prodeuntem ſola audiuit; quam ad ſe directam exiſtimans,

Vox è ſepulchro Viri Dei exit.

Patientiam commẽdat.

timans,

timans, omnimodè ad Diuinam voluntatem conformitatis actum emiſit. Et reuerà præuia admonitio mulierem plurimùm iuuit, nam poſt tres dies funeſtum de morte chari coniugis nuncium accepit: cui ſiuè amorem mutuum, ſiuè magnam familiæ neceſſitatem ſpectes, ſufferendo impar fuiſſet; niſi eam efficax Sancti Patris Solani verbum ſolidaſſet, & ſcuto patientiæ præmuniſſet.

Præſentia ſpirituali deuoto adeſt.

Vir quidam Eccleſiaſticus Regularis ex grauioribus Limani Regni circa initium Anni 1631. ad Sancti Viri tumulum acceſſit, eiq; ſe fidelem deuotum addixit. Ex tunc adeò menti eius fuit tanti Patroni impreſſa præſentia, vt ſemper intellectuali aſſiſtentia, ipſi die noctùq; ad nutum deſiderij adeſſet: hic autem præſentię ſpiritualis modus, quo & alia vice in ſepulchro ſuo orantem Vir Dei cum Seraphico Patre S. Franciſco dignatus eſt honorare; ſentiri poteſt, verbis deſcribi non poteſt.

Voluntatem hominis ad matrimoniũ inclinat.

Mulier quædam inops & vetula, hoc ſolùm commune matribus ante mortem in voto habebat, vt filiam triginta annis prouectam poſſet Matrimonio collocare; dotis autem (ſine qua nullum coniugij vinculum initur) copia deficiente, nouendialem ad Sancti Patris Solani tumulum ſtationem, deſiderij adimplendi medium impetratura traduxit. Quam cùm terminaret, & antequàm domum rediret, tenero mentis affectu Seruum Dei alloquens, ait: *Quoniam tu es Aduocatus pauperum, qualis ego adeò ſum;*

apud

apud te remaneat cura filiæ meæ, nam de tua ſollicitudine bonum expecto. Has inopis, & humilis vetulæ voces, pia Franciſci Solani auris excepit; nam die ſequenti, quidam homo diues & bonis fortunæ cõmodè inſtructus, ſe ipſo abſque ſenſibili vllius impulſu, vel ſupplicatione, aut verbo ad eam intrauit, & qui aliàs copiosè dotatas recuſauerat virgines, filiam illius in vxorem ſibi dari popoſcit: de cuius paupertate admonitus, indotatam ſe velle reſpondit, & talem accepit; contractoq; Matrimonio, pacem (quam Deus his, quos ipſe verè coniunxit) immittere ſolet, perceperunt.

Quidam Chryſoſtomus incola Vallis de Xauxa febris malignæ violentia vſum vocis, & ſenſuum liberam facultatem amiſerat: Hunc ſic anguſtiatum & in agone verſantem, etſi ob corporis mortem; tamen ampliùs propter animæ, quàm ex ſacramentalis Confeſſionis defectu timebant iacturam, omniũ circumſtantium affectus lugebat. Cùm accedens Ioannes de Quiros Vallis pręfatæ Gubernator infirmo Patris Franciſci Solani reliquiam admouit, & vt illi vocis redderetur libertas, orauit: Efficaces fuère contactus & deprecatio, illicò enim æger ad ſenſuum expeditam facultatem reductus; linguam ſoluit, peccata confeſſus eſt, alia Sacramenta placidè recepit, teſtamentum condidit, & tandem in pace quieuit.

Vſus loquelæ, & ſenſuũ infirmo obtinet.

Iuuenis quidam viginti annorum adoleſcens, depraua-

prauatus moribuſq; corruptus, temerarius ac ferox, cùm ex quotidianis diſſidijs magnos familiæ ſuæ ſumptus, ſibiq; frequens carcerum & compedum dedecus attraheret; poſt multas admonitiones, conſilia, & media correctionis humana in vanum tentata, ab afflicta Matre Sancto Patri Solano immutandus offertur. Quæ propterea celebrari ad ſepulchrum eius Miſſas fecit, vt (eo intercedente) Spiritus benignitatis, timoris Domini, & pietatis in filij mentem deſcenderet: nec decepta eſt, nam repentè, lupus ille in agnum mutatus enſem abiecit, à tumultibus abſtinuit; ac impoſterùm Dei dumtaxat obſequio, ac familiæ, Matriſquè ſuſtentationi diligenter attendit.

Conuerſionem miram operatur.

His addam mirabilem ſucceſſum, quo deuotum amici ſui deſiderium Vir Dei Sanctus impleuit. Anno 1633. Licentiatus Franciſcus Gutierrez de Salablanca, Audientiæ & Cancellariæ Regalis Ciuitatis Limanæ Relator, vitam Patris Franciſci Solani per omnes Bibliopolarum officinas fruſtrà quęſiuit: quadam verò nocte, dùm in cubili iaceret, vxori ſuæ Leonardæ de Vlloa ſuum de non inuento iuxta ardens deſiderium vitę præfatæ libro mœrorē ſignificauit, & in hoc ſermone vterquè obdormiuit. Manè exorto expergefactis ſuper puluinar, cui capita reclinabant, liber occurrit; quem cum ſtupore apertum, maritus de vita Sancti Patris Solani eſſe comperijt: Attentis verò circumſtantijs, quòd nec

Deſiderium ſui deuoti implet.

Liber miraculosè repertus.

in

in illa domo huiuſmodi eſſet, nec cuiquam Viri affectus innotuiſſet; planè conſtitit, illuc à Seruo Dei Franciſco amici ſui votis benignè inclinato fuiſſe mirabiliter perlatum.

De æſtimatione & fama ſanctitatis, quam Seruus Dei Franciſcus Solanus apud omnis conditionis homines obtinuit. Cap.XVIII.

EXimiam Serui Dei Franciſci Solani virtutem, & fulgentia ſanctitatis inditia, quaſi bonus odor vnguentum effuſum, celebris apud omnes homines æſtimatio ſecuta eſt: nam vbicùnq; luminis ſui radios diffudit, & vitam ducendo mortalem religioſę conuerſationis annos traduxit; ibi ſe cunctis amabilem, nemini odibilem, omnibus venerandum effecit. Quid apud Hiſpanos, antequàm ad Indias tranſiret, eius virtutis fama potuerit, quos Populorum applauſus, quos Fratrum & ſæcularium honores ipſi conciliauerit, illud imprimìs demonſtrat; quòd ad fugiendam humilitatis ſuæ inimicam popularis auræ titillationem ad Americum hemiſphærium (velut occiduus Sol) vt latitaret, perrexit. Apud incolas Tucumani, & Indos regionum illarũ Gentiles, quam obtinuerit famam, reuerentiam, & auctoritatem, ipſa quæ ſuperiùs in primo Libro narrauimus exempla, teſtantur. Quid tandem apud Limanam Ciuitatem ad eius commendationem va-

Fama Sãctitatis Viri Dei Franciſci Solani.

lucerint virtutes Apoſtolicæ, miracula, prophetiæ, nec non predicationes, ipſa iam deſcripta opera manifeſtant. Reſtat ergò, vt quæ poſt mortem ipſius crebris miraculis vel aucta, vel confirmata primùm apud Optimates Eccleſiæ & ſæculi Viros, apud Religioſos & eruditos; deindè apud Ciuitates ac Populos, Regna & nationes vigeat æſtimatio, declaretur.

Aeſtimatus à. Principibus Eccleſiæ.

Ab Eccleſiæ Principibus, apud quos eſt ſcientia boni & mali, quorum etiam auctoritas cæteris præferri debet, exordiar. Illuſtriſſimus Ciuitatis Regum, ſeu Limanæ Archiepiſcopus Dominus Bartholomæus Lobo Guerrero, tantam erga Virũ Dei Franciſcum Solanum in viuis agentem conceperat reuerentiam, ac tàm bonam de eius ſanctitate opinionem; vt (quemadmodùm ſuprà retulimus) ſacrum defuncti cadauer genibus flexis veneratus ſit, oculos & caput eius plantis humiliter ſuppoſuerit, & cum Excellentiſſimo Prorege proprijs humeris feretrum geſtare, vt pontificalem indecens grauitatem, haud erubuerit.

Archiepiſcopi Limaniin magna æſtimatione habent.

Succeſſor eius Illuſtriſſimus Dominus Doctor Ferdinandus Arias de Vgarte, ſe etiam Viro Dei ſingulariter deuotum exhibuit, dùm & ſacras illius reliquias coluit; dùmq; Apoſtolicæ commiſſionis vigore ſepulchrum eius viſitans, copioſos lachrymarum riuos effudit, & odore ſuaui ſpiritualiter recreatus, illi genuflexus iuſtæ tributum reuerentiæ

impen-

impendit; ac deinceps quanti eius ſanctitatem faceret, crebris inditijs oſtendit.

Illuſtriſſimi Domini & Magiſtri Frater Gabriel de Zarate, ex Qualificatore Sancti Officij, & ſecundò Prouinciali Peruanæ Prouinciæ Sancti Ioannis Baptiſtæ Ordinis Prædicatorum, Guamangę Epiſcopus, nec non Fr. Franciſcus dela Serna ex Lectore Theologico Academiæ Limanę & Prouinciali Ordinis S.Auguſtini Epiſcopus de Paraguai,mox de Popayan magnis Virum Dei præconijs extollunt. Ille etenim eum non ſolùm Seraphicæ,ſed & omnium aliarum Religionum gloriam & honorem appellat,qui ſuis virtutibus & exemplis nouum Orbem illuſtrauit; quemquè Diuina Maieſtas quaſi ſtellam fulgentem in medium nebulæ cæcitatis ac ignorantiæ gentilitiæ, in remedium Indorũ ad hoc Regnum tranſmiſit. Hic verò (olim Viro Dei,dùm viueret, familiaris) eum poſt mortem ſpeciali affectu proſecutus eſt, ac in ſua coram Iudicibus Apoſtolicis depoſitione illum ità in omnibus virtutibus excelluiſſe affirmat; quaſi quamlibet ſingulariter habuiſſet: eum prætereà hominem cœleſtem,Apoſtolicum præconem, Angelum à Deo miſſum, & in ſalutem innumerabilium animarum ad has Prouincias deſtinatum vocat. Illum quoq; in ſua declaratione iuridica Dominus Magiſter Fr. Auguſtinus de Vega ſacri Ordinis Prædicatorum in Peruana Prouincia Moderator, & Epiſcopus de Para-

Itē plurimi Epiſcopi.

Encomia Frãciſci Solani.

guay electus, Sancti Viri quondàm neceſſitudine vſus inſignibus titulis condecorat.

Proreges Limani eum plurimi faciunt.

Excellentiſſimorum Regni Peruani Proregum ſumma in Virum Sanctum Franciſcum Solanum ante & poſt obitum reuerentia, quàm magni fuerit meriti manifeſtat. Excellẽtiſſimus Dominus Ludouicus de Velaſco, Marchio de Salinas, Conſilij Regalis Indiarum Præſes, ac Peruanorum Regnorum Prorex deuota Serui Dei conuerſatione plurimùm recreabatur; eumq; non rarò in Conuentu Recollectionis Sanctæ Mariæ Angelorum adibat, illi humiliter in Miſſa miniſtrabat, vt de proximo eius ſpiritui participaret. Vno verbo ſemper pro Sancto, iuſto, ac Dei amico reputauit.

Excellentiſſimus Dominus Gaſpar de Zuniga & Azebedo, Comes de Monterrey, cùm Regnis illis præeſſet, verbis ſingularibus Sancti Patris Solani ſemper virtutem exaltauit; ſed præſertim poſt celebrem illam conuerſionis mirabilis in tota Ciuitate Limana operatricem concionem palàm ait: *Verè Pater Solanus eſt inſtrumentum, & organum Spiritus Sancti.*

Excellentiſſimus Dominus Ioannes de Mendoza & Luna Marchio de Montes-claros, ſtatim vt à Mexicano regimine ad Peruanum tranſiuit, iam ſibi fama publica commendatum Patrem Frãciſcum Solanum optauit ex vultu & ſermone cognoſcere; quem poſteà in maiori habuit æſtimatione, & mortuum

tuum ijs (quæ ſuprà recenſuimus) honoris, ac reuerentiæ ſignis, atq; pedum oſculis honorauit.

Tandem Excellentiſſimi Proreges Peruani Dominus Ludouicus Ferdinandus de Corduba, Marchio de Guadalcazar, & Dominus Comes de Chinchon peculiaribus honoris monimentis Viri Sancti memoriam illuſtràrunt: ille namquè recēti eiuſdem in Limana Ciuitate boni nominis odore excitatus ſepulchrum inuiſit, reliquias quoquè Chriſtiana veneratione affecit. Hic verò & frequenter ad eius tumulum ſtetit, ac eleemoſynas largas pro eiuſdem Canonizationis expenſis largitus eſt: cùmquè familiæ ſuæ de perenni ſucceſſione prouidere vellet, non aliud medium efficacius exiſtimans, filium ſuum primogenitum Marchionem à Sancto Martino de la Vega puerulum biennem in primo è Domo poſt ortum egreſſu, ad ſepulchrum Viri Dei elatum eius meritis obtulit, atq; protectioni commendauit. Hic etiam, nè quid arduum ſine eius auſpicio faceret, cùm ſingulis annis regales pecunias ad ærarium Hiſpanicum à portu de Callao tranſmitteret; ſepulchro Viri aſſiſtens, fœlicem peregrinationis exitum ſub eius patrocinio reponebat.

Domini Magiſter Dominicus de Almeido Decanus & Doctor, Ioannes de la Roca Archidiaconus Eccleſiæ Limanæ, Iudices Apoſtolici delegati poſt authentica & innumera ſanctę vitæ & miraculorum Viri Dei teſtimonia iuridicè excepta; ſibi, quod olim

Viri inſignes eum in magno habent pretio.

olim Reginæ Sabæ contigiſſe, maioremq; eſſe Franciſci Solani virtutem, quàm famam publicè affirmàrunt.

Religioſi quoque inſignes:

Admodùm Reuerendus & pijſſimus Pater Ioannes Sebaſtianus bis Prouinciæ Limanæ Societatis Ieſu Præpoſitus, innumeras Serui Dei excellentias ſic tandem concludit. *Deus ſapientiam Viro iſti Sancto conceſſit ad conſolationem, & tutelam totius Peruani Regni, in ædificationem ac exemplum huius Ciuitatis, & in decus, atquè coronam ſacræ ipſius Religionis.*

Dominus Franciſcus de Alfaro è Conſilio Maieſtatis Catholicæ in Regalis facultatis adminiſtratione, ac Sancti Officij Conſultor; relatis, quę in Tucumanicis regionibus de fama celeberrima Viri Dei acceperat, addit: Se omnes ſanctitatis probatæ & publicæ notas ex communi, atq; conſtanti omnium (nullo excepto) opinione, & conſenſu deprehendiſſe; immò tantam in Oppido de Eſtero ſe virtutũ eius inueniſſe fragrantiam, vt omnes ſibi ereptum, nec ididem defunctum dolerent, nè corporis theſauro ditarentur, ac tandem ſe curaturos illud etiam litis diſpendio ſibi reſtitui affirmarent: quoniam ad eum tantam referunt deuotionem & affectum, quã tam opinio eius ſanctitatis maxima & inexplicabilis poſcit.

Pręlati Ordinis Mino-

Commiſſarij Generales Prouinciarum Peruanarum Ordinis Minorum, quibus Franciſci Solani magìs probata & cognita virtus, ipſum miris enco-

mijs

mijs in ſuis factis (præmiſſo iuramento) declarationibus extollunt. Hic virginem puriſſimum, Virum extaticum, & Prædicatorem Apoſtolicum; ille inſtrumentum Spiritus Sancti, Virum iuſtum, innocentem, Apoſtolorum imaginem vocat. Alter in ſexennio, quo ipſi & Prouincijs illis præfuit, ſe in eo ſummas perfectiſſimi Viri, ac veri Seraphici Patriarchæ filij aduertiſſe conditiones; eumquè centrũ virtutum, in completo de vitijs tryumpho quieſcentium, appellat. Alij etiam Prouinciales, Guardiani, Religioſi quoq; conſpicui ipſum Virum iuſtum, extaticum, Apoſtolicum, nitidiſſimum omnimodæ virtutis ſpeculum, indefeſſum verbi Diuini Præconem, amicum Domini fidelem, integerrimum Religionis Catholicæ Defenſorem, pœnitentiæ exemplar, & S. P. N. Franciſci imaginem ſimillimam vocant.

rum eũ multũ extollunt.

Populorum omnium, Ciuitatum, Regnorumq; deuotionem, affectum & reuerentiam nullo tempore delebilem, præter ea, quæ infrà ſcribentur, apertè demonſtrant. Primò quòd in Proceſſibus & auctoritate ordinaria, & poſtmodùm Apoſtolica factis, recenſeantur nomina ſexcentorum & viginti octo teſtium; inter quos Proreges, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Religionum Prælati, Sacerdotes ſæculares, Viriquè doctrina & pietate conſpicui numerantur. Præthereà Miſſæ, orationes, vota, lampades, oblationes, feſtiuæ ſolemnitates, quæ vſquè ad annum mil-

Populorum erga Virum Dei deuotio.

leſi-

leſimum ſexcenteſimum quinquageſimum ſextum celebrari, offerri, appendi perſeuerauerunt: prefato autem anno, vt debita Decretis ſanct. mem. Vrbani VIII. redderetur obedientia, omnia (quæ cultum & publicam redolent venerationem) ſublata fuère monimenta: ſed hoc nunquàm alterabile ſuperfuit reuerentia interna, ſuo tempore; cùm ſcilicet Deo inſpirante Beatis agminibus aggregatus, à Cœli Clauigero declarabitur, manifeſtanda. Interim verò reſtant & conſtans ſanctitatis fama, & communia omnium (Peruanarum præſertim) regionum pro eius Canonizatione vota & deſideria.

Refertur hic vnius ex Societatis Ieſu Patribus de Serui Dei Solani ſanctitate celebre teſtimonium.

INſignis Theologiæ Magiſter, pietate & doctrinâ eximius, in Prouincia Peruana ſacratiſſimæ, & nunquàm ſatìs laudatæ, Ordiniquè Minorum ſemper beneuolæ Societatis Ieſu Prouincialis, Admodùm Reuerendus Pater Didacus Aluarez de Paz, inter conſpicuas ingenij ſui elucubrationes, quas Summo Pontifici Paulo V. dicauit; hæc de Seruo Dei Patre Franciſco Solano tom. 2. lib. 15. cap. 13. de paupertate, diſerta & ingenua verba exarauit in folio 1445. ſtylo ſequenti.

Patris Aluaris de Paz teſtimonium de ſanctitate Viri Dei.

Et quidem menſe Iulio primo proximo huius anni mille-

milleſimi ſexcenteſimi decimi; in quo iſta ſcribimus, facta eſt à Domino in hac Vrbe Limenſi mirabilis quædam præmij paupertatis oſtenſio. Tertio enim Iduum eiuſdem menſis defunctus eſt in Conuentu Minorum Frater Franciſcus Solanus ſexagenarius Sacerdos, & Concionator in Auſtrali Hiſpaniæ parte, quæ Bætica dicitur, in Caſtro Montellæ natus; Vir ſanctitate conſpicuus, & dignus Seraphici Franciſci filius. Is quadraginta annis, & eo ampliùs vitam religoſam profeſſus eſt, in qua non ſegniter ſe geſſit, ſed viam ſpiritus mira velocitate cucurrit; erat humillimus, magnus contemptor ſui, honorum & dignitatum irriſor, ſupra modum patiens, manſuetus, obediens, & vltra quàm dici poteſt caſtus & purus. Igne fraternæ charitatis ardebat, ægrotoſquè frequenter viſitabat, & ſuauiſſimis verbis conſolabatur: zelo Domus Domini, & deſiderio ſalutis animarum vrebatur, cuius conciones ſecundum ſapientiam huius ſæculi parùm compoſitæ & minùs eloquentes, auditores vehementer à vitijs retrahebant, & ad bonam frugem inuitabant. Diligebat ſecretum, ac ſecum commorari, niſi gloria Dei aliud depoſceret, rebus omnibus præponebat; ibiquè aſſiduis precibus & Diuinorum contemplationi vacans, non raró extaſes & raptus patiebatur. Hiſquè epulis aſſuetus ſæpè noctes inſomnes in ſuppedaneo ſummi Altaris apud Dominum in Euchariſtia deliteſcentem traducebat, & manu lyram paruulam pulſans, & ore Pſalmos canens, & corde cæleſtia delibans pernoctabat. Cùm autem has diui-

cias veriſſimas poſſideret, nō multùm ſi paupertatis amator eſſet, & omnem penuriam propter Chriſtum ac indigentiam diligeret, cui adeò fuit addictus; vt pauperrimo habitu & tunica contentus, vix neceſſaria imbecillo ſatis & infirmo corpuſculo ſuſtineret accipere; cui etiam hoſtis factus, ſeù (vt meliùs dicam) fideliſſimus amicus effectus, maluit ipſum affligendo, & vigilijs, ieiunijs, & omni genere aſperitatum affligendo diligere, quàm puſillanimiter fouendo, & molliter tractando perdere. Et vt finiam, vita ipſius non aliud extitit, quàm ſanctiſſima quædam & vtiliſſima actio, aut feruentiſſima & cæleſtibus conſolationibus, & illuſtrationibus refertiſſima oratio.

Die igitur proximè ſequenti dormitionis eius, in quo corpus terræ mandatum fuit, talis occurſus & concurſus virorum ac fœminarum ad eius exequias celebrandas confluit, qualem in hoc Regno ego nunquàm videram: omnes tùm maiores, tùm minores non inuitati, non vocati venerunt; quis enim ad funus pauperculi cuiuſdam omnem Ciuitatem vocaret? niſi quòd iam fama defunctionis eius percrebuerat, & multi ad eum vt Sanctum viſitandum, & pedes eius oſculandos properauerant. Accurrerunt quoq; cunctæ Religioſæ familiæ; & ex qualibet earum non ſex aut octo (vt moris eſt) ſed quamplurimi Religioſi, credo nutu Dei, non ſolùm vt funebria pro dignitate fierent; ſed vt tali ſpectaculo corda multorum (quod factum eſt) ad deſiderium vitæ perfectioris accenderentur. Accucurri & ego, cùm iam

corpus

corpus huius Viri venerabilis ad Eccleſiam efferebatur, & dùm vix præ multitudine, & quodam Fratre Minore præeunte, eoquè commoditatem ingrediendi procurante ad funus intrarem, fateor ſpectaculi nouitate motus, obſtupui: Nam Dominus Ioannes Mendocius Luna, Princeps clariſſimus, Marchio de Montes-claros, huiuſquè ampliſſimi Regni Prorex, & Dominus Doctor Bartholomæus Lupus à Guerrero Archiepiſcopus Limenſis, & totius huius Regni Peruenſis Metropolita, primi feretrum pauperculi deferebant; deindè poſt illos Religionum Prælati, & alij Viri literis & auctoritate celebres, quibus me (licèt indignum) adiunxi, ſtatimq; mihi interiùs ſe obtulit illud Dauidis: Nimis honorati ſunt amici tui Deus. *Et iterùm illud:* Sic honorabitur, quemcunquè voluerit Rex honorare. *Tandem non ſine magna hominum vtriuſquè ſexus preſſura ad Eccleſiam peruenimus, feretrum depoſuimus, & potuimus animæ puræ habitaculum ſacco coopertum aſpicere: Manus & pedes venerabilis illius corporis deuotè oſculatus ſum, quaſquè partes non inueni rigidas, ſed molles atquè tractabiles; non frigidas, ſed moderatè calidas, vt non tàm cadauer, quod pridiè anima deſeruerat, quàm hominem quieſcentem & tranquillè dormientem viderer attingere. Multi corpus circumdabamus non triſtes; ſed læti, non animam eius Domino commendantes, de qua ſpiritus in vno quoquè dicebat; quia requïeuerat in ſinu Domini à laboribus ſuis, ſed Deum ipſum in Sanctis ſuis mirabilem laudibus effe-*

rentes: nullus ibi teter odor, nullus cadaueris horror, nullum corruptionis ſignum ſentiebatur; ſed mentis ſerenitas, cordis ſuauitas, & quaſi ex ſocietate eius mira tranquillitas. Clariſſimus Prorex, dùm officia Diuina celebrari cœperant, puluinum Solij ſui ex ſerico auroquè contextum, defuncti capiti ſupponi iuſſit; & puluinar ſaccum, cui caput incumbebat, loco aurei & ſericei in Solio præcepit apponi, & ſic toto tempore Diuinorum officiorum manſit. Iudicauit ille (vt credo, & vt verum eſt) ſe ſacco illo multò magis quàm auro & ſerico Regiam poteſtatem oſtentaſſe, qui dùm ſerico incubuit, Prorex mortalis Principis; dùm verò ſaccum honorauit, Princeps pijſſimus & Chriſtianiſſimus, & Chriſti Seruus, ac Seruorum eius venerator apparuit. Tandem officio, funebri concione ex tempore habita, & Miſſarum ſolemnijs peractis, ad ſepeliendum corpus conuenimus; & vix illud ad locum ſepulturæ deſtinatum (quod tamen propè erat ſubtus gradus ſummi Altaris) deferre valuimus, turbis nos impedientibus & comprimentibus, & hùc illùcquè iactantibus vt pedes defuncti oſcularentur, vt roſarijs & linteis tangerent, & vt particulam aliquam ſacci eius (quo humabatur) abſcinderent. At Proregis ſatellicio adiuti vicimus, & paulò poſt meridiem illius diei, Beato Bonauenturæ ſacræ, venerabile corpus Serui Dei arca lignea incluſum, terræ mandatum eſt. Eadem autem nocte iuſſu Proregis effoſſum fuit, vt pictor quidam diligens ad eius ſimilitudinem effigiem exprimeret, ex cuius ore accepi defun-

ctum

ctum dormienti ſimilem, & quaſi ſuaui odore perfuſum fuiſſe repertum. Anima eius (vt piè credimus) apud Dominum magna gloria perfruitur, corpus apud ſuos cum honore ſeruatur; & bonam, ac laudabilem memoriam eius (vt ſperamus) nunquàm vorax tempus exedet.

Patronus multarum Ciuitatum & locorum Regni Peruani terra mariquè eligitur, pro Canonizationis eiuſdem expenſis pecuniæ dantur, & ad Summum Pontificem epiſtolæ ſcribuntur. Cap.XIX.

POſtquàm ſuperiùs enarratæ literæ Apoſtolicæ de die prima Februarij Anni 1613. Limã peruenerunt, & in ſolemni totius Ciuitatis concurſu à Iubicibus delegatis, ea (qua par eſt) reuerentia die 27. Februarij anni ſequentis receptæ & publicatæ fuerunt: Diuina Maieſtas, quæ Serui ſui Franciſci merita crebris prodigijs exaltauit; ipſius quoq; ſanctitatis famam in omnium Populorum cordibus altè radicare, & in eorum mentes beneficiorum ab illo receptorum memoriam reuocando, ac recipiendorum fiduciam augendo ab omnibus Peruani Regni Populis voluit in Patronum aſſumi. Patronus eligitur à multis Ciuitatibus.

Limana Ciuitas, Prouinciarum illarum caput & Mater, quæ præ cæteris Viri Dei opportunum erat experta ſubſidium, ipſi prima deuotum ſuæ clientelæ conſecrauit officium. Die enim vigeſima ſexta Limana Ciuitas eum eligit in Patronum.

Iunij

Iunij Anni 1626. celebrata fuit Congregatio, ſeù Capitulum Prætorum & Senatorum Ciuitatis Regum, à quibus (quæ ſequuntur) ordinata & ſtabilita fuère; nempè quòd tempus inſtabat optatú ſupplicandi Summo Pontifici nomine Senatus & Ciuitatis pro Beatificatione & Canonizatione Apoſtolici, & in eorum pia & communi opinione, Sancti Viri Fratris Franciſci Solani Regularis Obſeruantię Seraphici Patris Sancti Franciſci: ex quo literæ Apoſtolicæ ad partes illas peruenerant ad integram perfectę vitæ illius verificationem, in quo erat totum Senatus deſiderium & expectatio; vt diligentiam poſt prodigia in ipſius fœlici tranſitu manifeſtata, tàm rationabiliter ſuſceptam proſequatur. Quoniam autem quæ per Seruum ſuum in vita & morte operatus eſt Deus, innumera fuère Mundo notiſſima, Regno illi, pręcipuè verò pręfatę Ciuitati patentia; hęc illa ante alias adeò ipſi obſtricta ob longam plurium annorum cõmorationem, quibus eam prędicatione, doctrina, virtutibus & miraculis illuſtrauit: quoniam tandem in Vrbe illa corpus eius à Minorum Religione tàm ſollicitè ſeruatur, & à fidelibus tàm piè colitur; idcircò iuſtè Senatus tenebatur iamdiù conceptum adimplere deſiderium, Virumquè Dei Franciſcum in Patronum eligere, ſequè cum vniuerſa Ciuitate ipſi peculiariter addicta ad imitationem multarum Ciuitatum; quæ ſibi alios Patronos non iuſtiori titulo, nec vr-

gen-

gentiori de cauſa aſſumunt, eius clientelæ facto iuramento ſubijcere. Vt Ciuitas illa in crebris calamitatum temporibus, eius meritis, ac tutela protegatur, declaratum præterea fuit debere Senatum pro Patroni ſui Solani Canonizatione apud Summum Pontificem, ac vniuerſalis Eccleſiæ Rectorem inſtare, & Maieſtatem Catholicam (cui inter tot noui illius Orbis theſauros, nullus iſto pretioſior à fideli Ciuitate Limana offertur) vt ſuas interponeret ſupplicationes, rogare; ac tandem ſingulis annis, ducentos nummos pro eiuſdem Canonizationis expenſis Romam à Senatu eſſe tranſmittendos. Hanc eorum determinationem Excellentiſſimus Prorex, Comes de Chincon, quò ad præfatæ pecuniæ largitionem confirmauit; ſed quò ad ſolemne Patronatus iuramentum, ad Pontificis Maximi reſolutionē remiſit. Interim verò Ciuitas in ſui amore Patroni perſeuerans, in publicis & ſolemnibus feſtis eius imaginem in domorum frontiſpicio pretioſis auro & argento intextis pannis appenſam, cum armorum ſuorum ſcuto ſub pedibus eius pendente, ante Vrbani Octaui Decretorum notitiam ſolebat oſtendere; vno verbo in antiqua ſanctitatis ipſius æſtimatione perſeuerans, Beatificationis honorem expectat, impatientem ſuæ deuotionis tunc effuſura conſcientiam.

Ad iſtius imitationem reliquæ Peruani Orbis Ciuitates & Oppida Sancti Viri Solani patrocinio

ſe

Ciuitas de la Plata cũ accipit in Patronum.

ſe ſubmiſerunt; Ciuitas namq; de la Plata Prouinciæ & Archiepiſcopatus Charcarum caput, in Senatus ſui Congregatione habita die 25. Februarij Anni 1631. Seruum Dei ſibi in Patronum conſtituit, & in eius Canonizationis ſumptus pro aliquibus annis centum nummos de Gubernatoris conſenſu aſſignauit. Ciuitas Carthagena eadem ſolemnitate Anno 1631. die 11. Octobris ſibi in Protectorem eum elegit. Ciuitas Sancti Iacobi caput Regni de Chile, & Epiſcopatus in ſolemni Iudicum ac Magiſtratuum conſeſſu die 26. Auguſti Anni 1633. conſultatione plurium Theologorum & Iuriſperitorũ præhabita, eundem Seruum Dei ſibi in Protectorẽ & Patronum adſcripſit, ac feſtiuitatem electionis eius per plures dies gaudijs ac tripudijs publicis, feſtiuis ignibus; atquè muſicis, comedijs taurorumq; luctis, palęſtris, nec non tympanorum, campanarũq; ſonitu celebrauit; inſtante præſertim & vrgente ipſo Gubernatore Domino Franciſco Laſſo de la Vega, qui cùm in prælijs contra Indos initis opportunam inuocati Franciſci Solani opem ſenſiſſet, & victorias eo auxiliante retuliſſet, peculiari ad ipſum deuotione ferebatur.

Itẽ Carthagena Ciuitas,

Etiam & Sãcti Iacobi Ciuitas.

Idem agit Ciuitas del Cuſco.

Item Oppida varia.

Deniquè Ciuitas Epiſcopalis del Cuſco Anno 1632. Ciuitas de la Habana; Oppidum de Salinas caput Epiſcopatus Sanctæ Crucis die 20. Septembris Anni 1631. Oppida S. Philippi de Oruro, de Valuerde de Ica, de Oropeſa in Valle de Cochabam-

ba,

ba, de Caſtrouirreina Anno 1631. Oppidum diues & Imperiale de Potoſi, die 23. Martij Anni 1632. Oppida de Carrion, de Velaſco & de Amedo Anno 1632. Ciuitas Leonenſis de Guanuco, Anno 1634. plures aliæ Prouinciæ, Ciuitates & Oppida ritu pari ſimiliquè apparatu Seruum Dei Franciſcum elegère Patronum.

In ipſo etiam Americæ Auſtralis mari, Patronus & ſingularis Protector Vir Dei Solanus, ex ſequenti occaſione dignoſcitur. Cùm enim circa finem menſis Maij Anno 1631. à Portu de Callao ad Terræ-firmæ Regnum & Panamam Regio theſauro onerata claſſis perrectura ſoluiſſet, nociuam per aliquot dies experta tranquillitatem immobilis permanebat; tunc Dominus Bernardinus Hurtado de Mendoza generalis Pręfectus, Fratrem Ildephonſum Queto Ordinis Minorum Recollectum (qui factas à Commiſſarijs Apoſtolicis de vita & miraculis Serui Dei Franciſci informationes Romam deferebat) rogauit, vt corporis eiuſdem Sancti Viri integram imaginem explicaret: quæ vt extenſa & in medium collocata fuit, & ab omnibus honorata; ſtatim ortus eſt ventus propitius vela implens, ac puppim fœliciter impellens. Nonnulli autem ex præſentibus ſe aduertiſſe teſtantur, quòd imaginis facies, quæ ipſum macilentem & pœnitentem repræſentat; eo tempore plena & pulchra, & quaſi ab ore ventum emitteret, apparuit. Elapſis indè aliqui-

Ventum ſecundum impetrat claſſi Hiſpanicæ.

Ventus ab ore imaginis Franciſci So.

lani prodire videtur. bus diebus, defecit ventus; ſed eiuſdem imaginis expoſitione, iterùm opportunè flauit: At verò caliginoſa nocte triginta circa Panamam leucis, nauis Architalaſſa, ſeù (vt vulgo dicitur) Admiranta in incognita vada impegit, & perijt; idem Capitaneæ nauí periculum imminebat; ſed tertiò manifeſtata Viri Sancti imago, eam à præſenti diſcrimine liberauit, & vt omnes qui in naufraga vehebantur, in illam reciperentur, obtinuit. Nondùm tamen beneficiorum finis, nam & iſtam ventus adeò aduerſus impellere cœpit; vt in ſyrthem obuiam, & in eadem vada impetu recto collidenda pertraheretur; niſi iam quartò expanſa Serui Dei effigies, flatus ventorum proſperos è Diuinis theſauris eduxiſſet, quibus onerata vltra mille viatoribus nauis ad portum Panamæ fœlici appulſu peruenit. Extrahendis tandem ex deperdita naui argenteis maſſis, & machinis bellicis, ac inueſtigandis alijs pecuniarum arcis inuocata Franciſci Solani efficax interceſſio facilem dedit exitum. Pro tot ergò gratijs, generalis Præfectus Dominus Bernardinus de conſenſu omnium Capitaneorum, ac Officialium benebictum Patrem Solanum in Patronum Claſſium Regiarũ, mari Auſtrali nauigantium nominauit; & pro electionis huiuſmodi confirmatione, ad Maieſtatem Catholicam ſpecialem ſupplicationem direxit. Viatores autem vt votum, quod in periculo vouerant, adimplerent; ſolemnem in Conuentu Fratrum Minorum

Claſſem à periculis eripit.

Patronus claſſis Regiæ maris Auſtralis eligitur.

norum celebrauère feſtiuitatem: & quę intra Eccleſiam Miſſa, prædicatione, Auguſtiſſimi Sacramenti manifeſtatione, & imaginis Serui Dei ornatiſſima expoſitione fiebant; lætificis ignibus, proceſſionibus, exploſis tormentis, alijſquè tripudij ſignis foris imitabantur. Tanta fuit Populi Panamæ deuotio, vt per menſem integrum Eccleſiæ fores recludi magnus infirmorum concurſus impedierit; ex quibus nonnulli poſteà, receptam à Viro Dei ſanitatem promulgàrunt.

Ipſa verò Panama Regni Terræ-firmæ caput, & Sedes Epiſcopalis Venerabilem Dei Seruum Franciſcum Solanum in celebri Senatus & Magiſtratuũ conſeſſu die 4. Iulij 1631. in Patronum omnibus alijs præferendum elegit, copioſam pro eius Canonizationis expenſis eleemoſynam aſſignauit, & vrgentem pro eiuſdem promulgatione ad ſummum Catholici gregis Paſtorem Romanum Pontificem, ſicut & aliæ plurimæ Orbis Peruani Ciuitates idem humiliter, ac ſollicitè poſtulantes, epiſtolam ſcripſit; in qua virtutum & miraculorum Serui Dei celebre teſtimonium, iam enarratum Claſſis Regiæ protectionem, ac patronatus collati Decretum & votum exponit.

Panama Ciuitas in Patronum eligit.

Ciuitates multæ ad sũmum Pontificẽ pro Serui Dei Canonizatione ſcribunt.

Status Cauſæ Beatificationis, & Canonizationis Serui Dei Franciſci Solani.

QVandiù ſuperiùs deductæ informationes ab Ordinarijs locorum fiebant, & dùm virtute literarum Apoſtolicarum à Cõmiſſarijs ſpecialis inquiſitio formabatur; interim Populi Limani deuotio crebris Serui Dei miraculis excitata, celebres eius reliquijs exhibebat honores. Nam vltra lampades, vota, imagines, Miſſas, aliaquè huiuſmodi Chriſtianæ pietatis inditia ad eius ſepulchrum oblata, ipſius etiam ſacrum corpus (quod poſt ſex menſes in tumulo mirificum illum cum morte contractum odorem ſeruare repertum eſt) poſt aliquos tandem annos in arcam cedrinam pretioſè inſtructam à Patre Ioanne Moreno Verdugo Ordinis Minorum in Prouincijs Peruanis Commiſſario Generali affectui priuato, & communi omnium deſiderio, ac pietati ſatisfacere volente, præſentibus multis Religioſis translatum fuit & eleuatum. Inſuper & Domina Mencia de Sylua & Corduba, Domini Georgij Manrique de Lara Ordinis Sancti Iacobi Equitis vidua, non ingrata beneficiorum ſibi à Viro Dei (dùm viueret) collatorum, magnificam in Eccleſia Conuentus Sancti Franciſci Capellam opere toreutico contignatam, ac deauratam, ad parietes

Magno cum honore Serui Dei exhibentur reliquię.

Sacellũ Seruo Dei mar-

rietes

rietes curioſè depictam extrui fecit, & Venerabili Seruo Dei affectuoſè deſtinauit. Huius autem principale tabulatum tribus conſtat forulis, in quorum medio (donec illi Beatificationis honorem Sedes Apoſtolica decernat) collocata eſt interim Sancti Bonauenturæ imago, & ſub ea diues & miro elaborata artificio capſa condendo Franciſci Solani corpori aptata perſpicitur. gnificum extruitur.

Cùm itaquè informationes à Commiſſarijs auctoritate Apoſtolica confectæ, Romam tranſmiſſæ fuiſſent; ante omnem Cauſę proſecutionem, nouis fel. record. Vrbani Octaui Decretis, vt primùm ad Peruanorum notitiam peruenère, exacta præſtita eſt obedientia. Anno namquè ſupra milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimo ſexto corpus Venerabilis Viri Dei Franciſci ab Eccleſiæ tumulo (in quo publica Populi veneratione colebatur) in Capellam Valetudinarij Conuentus Sancti Franciſci delatum, abſquè vlla eleuatione plana in humo conditum fuit: Lampades etiam, imagines, vota, appenſa donaria; & cuncta tandem cultus inditia, iuxta Decretorum præfatorum tenorem ablata, in locum ſecretum huc vſquè reſeruantur.

Vrb. VIII. decretis obeditũ eſt.

His igitur præmiſſis, ſtatim Cauſa Beatificationis & Canonizationis reſumitur; ſubrogatus proptereà in locum Nuncij Apoſtolici à ſacra Rituum Congregatione Epiſcopus Tymnienſis Archiepiſ-

Status Cauſę Beatificationis & Canonizationis Serui Dei.

copi

copi Toletani in Oppido Matritenſi Suffraganeus ad informandum ſuper non cultu & paritione Decretis Vrbani VIII. in virtute præfatæ commiſſionis, ac prorogatione eiuſdem ad annum ſibi à ſacra Congregatione die 22. Nouembris conceſſis, & à Summo Pontifice Alexandro VII. die 24. eiuſdem menſis Anno 1664. approbatis, diligentes egit informationes; ex quibus veritas præallegati non cultus & paritionis Decretis manifeſtè probatur.

Vt Romam delatæ fuerunt illæ, inſtante ſemper & procurante Fratre Ioanne à S. Didaco Villalon Prouinciæ Andaluſiæ Layco profeſſo, & eiuſdem Cauſæ in Curia Romana Procuratore; præfata ſacrorum Rituum Congregatio propoſita, & maturè diſcuſſa ſententia Epiſcopi Tymnienſis cenſuit conſtare de ſufficienti adimpletione Decretorum Vrbani VIII. & ad vlteriora poſſe procedi, vt pleniùs in Decreto die 26. Iunij 1666. emanato continetur.

Poſteà verò die 27. Auguſti 1667. Sanctiſſimus Dominus Clemens Papa Nonus ad humiles preces præfati Fr. Ioannis à S. Didaco Villalon Procuratoris benignè conceſſit, vt in Congregatione ordinaria proponeretur & diſcuteretur; an de validitate proceſſuum auctoritate Apoſtolica confectorum ſuper vita, ſanctitate, virtutibus & miraculis Serui Dei Franciſci Solani conſtaret. In eius gratiæ executionem, re in ſacrorum Rituum Congregatione propoſita, die 10. Decembris 1667. de validitate dicto-

rum

rum Proceſſuum conſtare, & ad vlteriora grogredi poſſe declaratum eſt, ac huiuſmodi Decretum ab eodem Summo Pontifice die 16. Ianuarij 1668. fuit approbatum.

Nunc autem ſincera & completa virtutum heroicarum Serui Dei Franciſci ſumma, ac dilucidè compendiata narratio, cùm Sanctiſſimo Domino Papæ Clementi X. placuerit, examinanda proponitur; quam poſteà miraculorum ab innumeris teſtibus comprobatorum fidelis deductio ſequetur. Nec dubitari poteſt, quin concurrentibus in vnum tot ſanctitatis argumentis, tot Populorum æſtimatione, deſiderijs & ſupplicationibus, tot Diuinæ voluntatis ſibi in amici ſui Solani honore complacentis efficacibus ſignis; ille tandem, quem pia fidelium opinio in Cœlis regnantem proclamat, à Chriſti Vicario & Petri Succeſſore Beatus declaretur, nec non in Sanctorum numerum referatur.

Sac. Rituum Congregationis Decreta pro eiuſdem Viri Dei P.Fr. Franciſci Solani Beatificatione & Canonizatione.

LIMANA

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Serui Dei Fr. Franciſci Solani Ordinis Minorum Obſeruant. Sancti Franciſci.

SAcra Rituum Congregatio referente Eminentiſſimo Chiſio ſubrogauit in Locum Nuntij Apoſtolici in Hiſpanijs pro Oppido Matriti, & tota Diœceſi Toletana, Epiſcopum Tymnieñ, illiquè conceſſit nouũ terminum vnius anni ad conficiendũ proceſſum ſuper non cultu cũ facultatibus procedẽdi ad formam literarum cõceſſarum die 2. Decembris 1651. & expeditarum 16. Septemb. 1652. illarumq; duplicatum expediri mandauit, & quatenùs opus ſit, nouas remiſſoriales cum facultatibus deſupèr neceſſarijs, & opportunis, & ad formam Decretorũ ſanct. mem. Vrbani VIII. ſi Sanctiſs. viſum fuerit. Hac die 22. Nouemb. 1664. Et facta de prædictis relatione Sanctiſſimo per Eminentiſs. Ginettum Præfectum in Conſiſtorio Sanctitas Sua benignè annuit die 24. eiuſdem menſis Nouembris 1664.

M. Card. Ginettus Vicarius.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rituum Congr. Secr.

LIMA-

LIMANA

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Serui Dei Fr. Franciſci Solani Ordinis Sancti Franciſci.

PRopoſita, & diſcuſſa in Sac. Rituum Congregatione validitate, & iuſtitia ſententiæ Epiſcopi Temnieñ Iudicis remiſſorialis in Cauſa dicti Serui Dei ſuper non Cultu; Eadem Sac Congregatio cenſuit conſtare de ſufficiẽti paritione Decretis Vrbani Octaui, & procedi poſſe ad vlteriora in Cauſa, non obſtantibus oppoſitionibus R.P.D. Promotoris, & præcipuè ob deficientiam ocularis inſpectionis Sepulchri per ipſummet Iudicem faciendam ad formam Decretorum, & quatenùs opus ſit, inclinauit pro gratia ſanationis, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die 26. Iunij 1666. Et facta per me Secretarium Sanctiſſimo relatione, Sanctitas Sua annuit 14. Iulij 1666.

M. Epiſcopus Sabineñ Card. Ginettus Vicarius.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rituum Congr. Secr.

Beatificationis, & Canonizationis Venerab. Serui Dei Fratris Franciſci Solani Min. Obſeruant. Sancti Franciſci.

SAnctiſſimus D. N. D. Clemens Papa Nonus ad preces Fratris Ioannis à Sancto Didaco, & Villalon Poſtulatoris dictæ Cauſæ, eamquè ſpeciali fauore, & gratia proſequens benignè conceſſit, vt in Congregatione ordinaria proponatur & diſcutiatur dubium; an conſtet de validitate Proceſſuum authoritate Apoſtolica confectorum ſuper prætenſa ſanctitate, vita, virtutibus, & miraculis dicti Venerabilis Serui Dei: Et Teſtes in eis ſint ritè, & rectè examinati, Decretis ſan. mem. Vrbani Octaui, Conſtitutionibus Apoſtolicis; ſtylo Sacræ Rituum Congregationis, cæteriſquè contrarijs non obſtantibus quibuſcunquè. Hac die 27. Auguſti 1667.

M.Epiſcopus Portuenſis Card.Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac.Rit. Cong.Secr.

LIMA-

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Serui Dei Fr. Franciſci Solani Ord. Min. Obſer. S. Franciſci.

PRopoſito dubio per Eminentiſs. D. Card. de Ilcio, loco Eminentiſs. Chiſij Ponẽtis impediti, in Congregatione ordinaria Sac. Rit. in vim ſpecialis diſpenſationis Sanctiſſimi, ad preces Fr. Ioannis à S. Didaco, & Villalon Ord. Min. Obſer. S. Franciſci Poſtulatoris Cauſę dicti Ven. Serui Dei; an conſtaret de validitate Proceſſus remiſſorialis, & compulſorialis in ſpecie, & Teſtes in eo eſſent ritè & rectè examinati, & iura legitimè compulſata: Eadem Sac. Congregatio cenſuit, conſtare de validitate dicti Proceſſus, & ideò poſſe ad vlteriora procedi, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die 10: Decemb. 1667.

Et facta de prædictis Sanctiſsimo relatione per Eminentiſs. D. Car. Ginettum Præfectum in Conſiſtorio Sanctitas Sua annuit. Die 16. Ianuar. 1668.

M. Epiſc. Portuenſis Card. Ginettus.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Sec.

Proteſtatio Authoris.

DEcretis ſanct.mem. Vrbani Papæ VIII. inhærẽdo, eiſq; debitã obedientiã præſtando proteſtor, quòd ſi quæ in referendis Venerabilis Serui Dei Franciſci Solani vita, morte, virtutibus & miraculis, ac tandem in toto hoc Libro ſcripſi, quæ adhuc Apoſtolicæ Sedis examen, approbationem, & iudicium deſiderent: illa tantùm affirmare velim tanquàm humanam & priuatam hiſtoriam ſola fide ſuffultam, quam Auctores (à quibus eam hauſi) promerentur; nullum propterea hoc nouo teſtimonio probationis gradum, quouis etiam longiſſimi temporis curſu mox intercedente obtenturam. Et tandem declaro, quòd ſi præfatum Seruum Dei Franciſcum Solanum, aut aliquos fortè alios nondùm ab Eccleſia Romana Canonizatos, aut Beatificationis honore decoratos, Sanctos vel Beatos nominaui, aut aliquem titulum eis nondùm conceſſum adſcripſi; non intendi vllo modo Sanctitatem, aut Beatitudinem perſonis, ſed tantùm laudationis modo eorum geſtis attribuere.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ità eſt Fr. Tyburtius Nauarrus.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

ABbſtinentia Serui Dei Frã-ciſci Solani qualis fuerit. pag. 5. & 95.

Actio gratiarum poſt Sacrificium. 69

Adoleſcentia eius qualis. 3.

Æſtimatio eiuſdem apud Indos. 26. de alijs bonam habet. 98. à Principibus Eccleſiæ & ſæculi, nec non à Populis plurimùm æſtimatur. pag. 202. & ſeqq.

ad Africam pergere cupit. 15.

ad Amorem Dei cæteros inflammat. 39. amoris æſtus. 64. eius exceſſus. 65. ad amoris Dei nomen inflãmatur. ibid, digna eiuſdem amoris æmulatio. 66. Diuino amore excitatus à ſenſibilibus ad Deũ aſcendit. ibid.

Amor proximi in Viro Dei magnus. 85. eius effectus. ibid.

Angeli Cuſtodis inſpirationem cognoſcit. 54.

ad Animas Purgatorij affectus. pag. 88.

Annus natalis Serui Dei Solani. 1.

Apparitio Viri Dei mulieri. 150. 162. & 163.

Aquam ſitientibus miraculosè prouidet. 28. aquæ poculo hominem ſanat. 61.

Arca præſeruatur ab incendio. pag. 147.

Arcana Viri manifeſtat. 56.

Auiculæ Seruo Dei Solano familiares. 89. circa moribundi cellulam cantant mirabiliter & inſolitè. 105.

Auſteritas magna. 5. 18. in infirmitate. 97.

B

BAptiſmus Serui Dei Solani. 2.

Benignitas eius ſumma. 89. animalibus cognita. ibid.

à Buccella guttur ſuffocantem liberat. 168.

C

CÆca lumen recipit. 137. item alia. ibid.

Charitas Viri Dei magna erga proximum. 13. 15. 18. 21. & 32. erga Indos. 25. eius effectus in ipſo Dei Seruo. 64. magna erga leproſam Indam pag. 88.

Carceratos inuiſit. 15.

Caſtitas

Caſtitas Serui Dei Angelica. 93. eius effectus. ibid. eiuſdem ſeruādæ media 94. poſt mortem eius inditia. ibid.
Cella Viri Dei Solani qualis fuerit. 7.
Ceremoniæ receptionis & publicationis literarum Apoſtolicarum. 156.
Certaminis ſingularis propoſitum detegit, & impedit. 58.
Cibos alijs adminiſtrat. 21.
Cilicia Serui Dei. 95.
Ciuitates multæ Indiarum ſcribunt ad Summum Pontificē pro Serui Dei Solani Canonizatione. 219.
Claſſem à periculis eripit. 218.
Clauis ſandalia transfigit. 97.
Chordæ eius contactu mira operantur. 34. parturienti ſalutaris eſt. 49. & 60.
Chori Vicarius fit. 8.
Colloquijs priuatis omnes informat. 38.
Columna ignea poſt mortem Viri Dei Solani apparet. 111.
ad Confitendum inducit. 40.
Conſcientiarum notitia Seruo Dei familiaris. 59.
Conſilium inimici mortem machinantis videt & auertit. ibid.
Conſolatio ſpiritualis magna in tota Prouincia Limana. pag. 123.
à Conſuetudine mala hominē retrahit. 121.
Contemptū amat & optat. 98.
Cor cuiuſdam ad Matrimoniū diſponit. 150. corda audientium mouet. 39.
Corporum bonum operatur. 60. de proprij corporis doloribus gaudet. 96. eiuſdem labores. ibid.
Corpus Viri Dei ante mortem renouatur. 107. eiuſdem mortui mira priuilegia. 109. ad illud honorandum concurrit Populus. 110. inuiſit illud Archiepiſcopus Limanus cum Prorege Peruano. 112. ſimul eius feretrum deferunt. ibid.
Crus mortuum retrahit. 110.
Cuſtos Tucumanicæ Prouinciȩ eligitur. 33. Cuſtodis officiū optimè adimplet. ibid. eidem renuuciat. 34.

D

DÆmonis ſecretam ſuggeſtionem cognoſcit. 53.
Decretis Vrbani VIII. obeditū eſt. 221.
Deum alloquitur. 106.
Deuotio Viri Dei ad B. Virg. 72. laudes eius canit. 73. & eas ad canendum Virum grauē inducit. 74. ſpecialis eſt eius deuotio ad S. Bonauenturā. 76. erga infantiam Chriſti, pag. 67.

Eucha-

E

EVchariſtiæ deuotiſſimus eſt Vir Dei. 68. eius fides erga illam. 71. de ea mira dicit. ibid. coram corpore Chriſti in Euchariſtia canit & pſallit. ibid.
Exhortationum feruor. 40.
Extaſis in prædicando. 46 item alia. ibid. poſt Miſſam. 70. frequentes. ibid. in aera eleuatur & fertur. 80. & 107.

F

FAma Sanctitatis Viri Dei magna. 201.
Fides eius etiam magna. 62. gratis data. 63. erga Seruum Dei fides puellæ mirabilis. pag. 185.
Flagella Viri Dei crebra. 5. & 95.
Fluuium ſuper pallium traijcit. 31. alium exundantem vadoſum facit. 32.
Fons miraculoſè ſcaturit. 72. eius aqua ſalutaris. ibid.
Funus Serui Dei Solani. 113. ad illud concurrunt omnium Ordinum Religioſi. 111.

G

GVardianus inſtituitur. 10. eius munus optimè adimplet. ibid.

H

HAbitum ab aquis miraculoſè recipit ſiccum. 20. in funere quatuor in particulas diſſecantur. 110.
Honorare Seruum Dei detrectans punitur. 122. poſteà pœnitens ſanatur. 323. honorē fugit Vir Dei. 15.
Humilitas Serui Dei Solani magna. 10. 15. 34. & 34. fœtus eſt veræ orationis. 83. maxima eſt. 97. eius effectus in ipſo. 98. eiuſdem actus. 106.

I

IGnis incendia ſedantur. 245. & ſeqq.
Imago Viri Dei depingitur, & quando. 123. infirmam alloquitur & ſanat. 164. miracula patrat. 165. mortuum ſuſcitat. 172.
Indias petit Seruus Dei. 16. Indos manſuetudine conuertit & ſicurat. 26. eos à ſtrage Chriſtianorum auocat. ibid. vnica prædicatione ex illis vltra nouem millia cōuertit. ibid. illos à mala ſe ſuſpendēdi conſuetudine reuocat. 30. cum abſentem lugent. 34. apud ipſos celebris eius memoria. 35.
Infirmis inſeruit. 15. eos inuiſit. 86. miniſtrat Fratribus infir-

infirmis. ibid. & 87.

Infirmitas Serui Dei vltima. 101. virtutes eius in illa. 102. oratio, raptus, & extaſes in ea. ibid. mira quædam alia in eadem. 103. & 104.

Informationes ab Ordinarijs factæ de vita & ſanctitate Viri Dei Solani. 152. Romã tranſmittuntur. ibid.

L

LAbores Serui Dei in itinere multi. 23.

Lac in mamillis dat mulieri. pag. 167.

Lampas miraculosè accenditur. 248.

Liber miraculosè repertus. 200

Limam aduentat Vir Dei. 23. ibi multa agit. 36. ab eo in publicam pœnitentiam inducitur illa. 42. eum eligit in Patronum. 213.

Lingua Hiſpana loquens ab Indis intelligitur. 25. Indicam facilè addiſcit. 24.

Literæ remiſſoriales Apoſtolicæ Limam mittuntur. 153.

Locuſtis imperat Vir Dei, & obediunt. 33.

Loquelam ad confitendum infirmæ reddit & ſanitatem. pag. 167.

Luce cœleſti ad Altare ducitur. 69.

M

MAgiſter Nouitiorum præficitur. 8. munus illud quomodò exercuerit. ibid. ad illud iterùm deſtinatur. 9.

Mariæ Virginis colloquiũ tota Serui Dei conſolatio. 74. eius laudes Viri Dei laborum lenimen. 75.

Martyrij deſiderio flagrat. 17.

Mens Dei impleta. 45.

Mira Seruus Dei operatur. 12.

Miracula patrat. 27. in die obitus & ſepulturæ eius varia. 114. & ſequent. miraculum celans punitur. 129. poſteà promulgare ſtatuens ſanatur. ibid. poſt ſepulturam Viri Dei operata. 124. & ſeqq. alia quamplurima. 138. & ſeqq. poſt literarum Apoſtolicarũ publicationem facta. 157. & ſeqq.

Miſericordia Viri Dei ergà pauperes. 86.

Miſſam deuotiſſimè celebrat Seruus Dei Solanus. 69. eam celebrando in extaſim rapitur. ibid. eidem celebranti inſeruit Prorex Peruanus. ibid.

Miſſionarij Apoſtolici virtutibus relucet. 24.

Miſteria firmiter credit. 63.

Monialem à tentatione liberat. 38. item aliam. ibid.

Mores Viri Dei ſupra ætatem honeſti. 2.

Mor-

Mortuus à Dei Seruo adhuc viuente ſuſcitatus dicitur. 29. mortui varij ab ipſo ſuſcitati. 128. & ſeqq. 175. & ſeqq.
Mulam in caſu periculoſo mirabiliter conſeruat. 169.
Mulierùm colloquia fugit. 93. diuerſæ à partus periculo liberatæ. 134. & ſeqq. 175. & ſeqq.

N

NAufragium patitur Vir Dei. 18. in eo virtus, exhortationes, orationes & pœnitentiæ. 19. ab illo nauigantes liberat. 148.
Nauigantis Serui Dei exercitia. 16.
Noſocomij curam ſuſcipit. 13.
Nouitiatus Serui Dei virtutes. 4
Nouitios exẽplo docet & verbis. 9.

O

OBediéntia Viri Dei maxima. 90. eius amor & effectus. ibid. abſque obedientia nihil aggreditur. 91. ſine obedientia nulla Religio. ibidem.
Occulta & remota videt. 29.
Occupatio Serui Dei poſt ſtudium. 3.
Odia ſecreta detegit & deſtruit. 56. ab inueterato odio mentem liberat. 121.
Officijs ſæpè renunciat Vir Dei 35.
Olei lampadum Serui Dei efficacia. 180. eius vnctione plures ab infirmitatibus liberantur. 181. & ſeqq. alia eiuſdem efficacia. 184. ægri hoc oleo liniti ſanantur quamplurimi. ibid. & ſeqq. ab ipſo fortunæ bona ſeruantur. 189. multis infirmis ab eodem ſanitas redditur. 190. & 194. illud mirabiliter multiplicatur. 192 & ſeqq.
Orationi deditus. 6. eius medio hominem à mortis faucibus eripuit Vir Dei. 60. omnes orationis gradus attigit. 77. ad illius ſublimitatem quomodò ſe homo diſponit. ibid. diſpoſitiones omnes orationis perfectæ Seruus Dei habuit. 78. eius donum Deus illi conceſſit. 79. in ea voces, clamores & lachrymæ. 82. orantis illuſtrationes & conſolationes. 83. illius efficacia. 84. eiuſdem ſtudium Fratribus ſuadet. ibid. fructus orationis eius. 85.
Ordinem Minorum intrat Dei Seruus vbi, & in qua Prouincia. 4.
Ortus & pueritia Serui Dei Solani. 1. & 2.
Oſculo plagas ſanat. 13.

PAcis amicus eſt Dei Seruus.3.
Panamæ quid egerit.17. cum in Patronum ſibi eligit illa. pag.259.
Parētes Viri Dei qui fuerint. 1.
Paſſionem Domini compaſſiuè prædicat. 46. eidem deuotus 68.
Patientia Serui Dei mira in aduerſis.99.& 100.
Patria Franciſci Solani. 1.
Patronus eligitur à multis Ciuitatibus.213.& ſeqq. Claſſis etiam Regiæ maris Auſtralis,318.
Paupertati deditiſſimus.92.eiuſdem zelus in Prælatione. ibid.
Peccata occulta Vir Dei cognoſcit.54.ſecreta confitenti ſuggerit. 55. ea & loca illorũ manifeſtat homini.58.
Peccatorem conuertit.38. item alium ad Religionem. 39. grauem alium conuertit. 55.
Pecuniam perditam reſtitui facit.151.
Perſeuerantia Serui Dei in bono.7.
Peſte laborantibus inſeruit. 13. ea laborat ipſe.14.
Philoſophiæ ſtudet.7.
Piſces arte Dinina extrahit ab aquis.21.
Pœnitentia Viri Dei Solani ſupra humanas vires.94. eius præmium ei reuelatur. 97.
Prædicator inſtituitur. 8. eius prædicatio qualis fuerit. 11. in Indijs. 25. prædicat in vijs publicis, Eccleſijs & theatris. 36.in locis ludorum. 37. ad audiēdum illum vndiq; concurrit Populus.ibid. prædicatio efficaciſſima.41. earum materiã vndè hauriebat.45.
Præſentia Serui Dei reuerentiã mouet.6. ea deuoto ſpirituali adeſt.198.
Profeſſionem emittit.6.
Proles lapide occiſa ab aluo fœliciter educitur.178.
Prophetia Serui Dei Solani.19. impleta.20.alia. 22. impletur 23.etiam alia.29. aliæ quamplurimæ. à 47.ad 56. prophetia orationis fructus. 84. fœliciſſimæ mortis ſuę diem prędicit. 105. impletur alia eius prophetia. 112.
Prorex Peruanus commotionis Limanæ caſum inquirit. 44. quid de ea ſenſerit. 45. mortuum Dei Seruum inuiſit. 122. cum Archiepiſcopo Limano feretrum eius defert. ibid.
Protectio Diuina circa Seruum ſuum Solanum.3.
Pueri varij ſanantur meritis Viri Dei.130.& ſeqq.

R

Raptus Viri Dei.80. & 81.
Recollectioni Limēſi præficitur.34.& 35.
Religioſi commouentur, & quare.43.
Reliquiæ Serui Dei exhibentur magno cum honore.220.
Reuerentia Viri Dei Solani in Summum Pontificem & Sacerdotes.72.

S

Sacellum Seruo Dei magnificum extruitur.220.
Sacerdos fit Vir Dei Solanus.7.
Sacramenta frequentat.4.
Sãguis à ſciſſura corporis mortui defluit.110.
Sanitatem ægro obtinet Vir Dei.60.
Secretum propoſitum agnoſcit.57.
Senteutiæ Serui Dei de ſe ipſo humiles.84.
Sexum prolis recentis diuinitùs agnoſcit.49.
Silentij amantiſſimus.5.
Solemnitas receptionis literarū Apoſtolicarum.154.
Spes Viri Dei ſumma 63.
Spinas in rigentes nudum ſe volutat.10.
Splendor in vultu Serui Dei. 70.
Studia eius qualia. 7. illis addicitur.2.

T

Taurum ferocem Seruus Dei manſuefacit.30.duos etiam alios.31.
Theologiæ ſtudet.7.
Tentationem ſecretam videt & compeſcit.54.
Teſtimonium de Sanctitate Viri Dei.208.
Tranſitus eiuſdem glorioſiſſimus.108.eiuſdem dies, menſis & annus.ibid.
Trinitati, & Natiuitati Chriſti deuotiſſimus.67.
Truxilli deſtructionem prædicit.47.
Tucumanum adit.23.
è Tumulo extrahitur ad depingendum.123.

V

Veniam à corpore petit pro pœnitentia.97.
Ventum ſecundum impetrat Claſſi Hiſpanicæ. 217.ab ore imaginis Viri Dei prodire videtur.ibid.
Viaticum recipit. 105. & Extremam Vnctionem. 106.
Virtus Serui Dei Solani in animas. 197. mira operatur in ſuis deuotis.200.
Vlcera pueri lambit & ſanat. 12.
Voluntatem hominis ad Matrimonium inclinat. 198.
Vox è ſepulchro Viri Dei exit patien-

patientiā comendando.197.
Vſus loquelæ & ſenſuum obtinet infirmo.199.

X

XEnodochia viſitat.18

FINIS.